AVTHENTICA

PROBATIO SACROSANCTI MISSÆ SACRIFICII.

EX SOLIVS SCRIPTVRÆ SACRÆ TESTIMONIO.

AUTHORE

R. P. F. PETRO DE BOLLO

PARISIENSI THEOLOGO

ordinis prædicatorum.

Cum indice rerum omnium.



LVGDVNI,

SVMPTIBVS PETRI LANDRY.

M. D. LXXXVIII.

Cum priuilegio Regis.

AMPLISSIMIS AC NOBILISSIMIS DOMINIS. D. SVMMO DECANO COMITIBVS ET CANONICIS Almæ Lugdunensis Ecclesiæ.

***

SCRIPTORUM genus est (Illustrissimi Domini) Ecclesiæ Catholicæ pestilentissimũ, è quorũ officinis innumeræ librorũ farragines, nihil nisi putidam hæresim spirantes, nihil nisi infanda scommata ferentes, in his calamitosissimis diebus prodeũt. Pulchra & eximia illa scripta iudicant, in quibus ridiculæ controuersiæ mouentur, & aniles nugæ, quæ somniis & portentis iniuriis & contumeliis phaleratæ scateãt. Ex adyto veluti volumina illa existimant quæ fœdè Ecclesiæ Catholicæ ritus, ceremonias, sacramẽta, mysteria, Pontifices & Prælatos lacerant, damnant, irrident, naso suspendunt adunco. In cathedram Apostolicam cuius lacte aliquando educati sunt: omnibus modis digladiantur, eámque Antichristi sedem nescio qua Circe incantati sibiipsis stultissimè persuadent, tum aliis impudentissimè prædicant. Hæc quantumuis dicta infanda æquiùs ferrentur, nisi & in Deum perfidissimi Apostatæ arma arriperent, nisi vndique Christo insidiarentur, sed cum tanto ariete, tantis Arcubalistis, tantis scorpionibus minimè percelli aut

concuti poßit illum abhac promissa perpetuò nobiscum præsentia in sacro Mißæ sacrificio arcere conantur. O audaciam homunculorũ incredibilem. Nollem hic referre cruentum certamen quod moliuntur, eßet enim spectaculũ contagiosum. In prima acie pertinacißimi obsidii sunt illi omnes qui Dei potẽtiam in dubium reuocant, cum quibus fuit Christianis semper ἄσπονδος & πόλεμος irreconciliabile bellum. Illic impiè rumpitur Lucianus qui blasphemat Christum Dominum merito cruci damnatum quod nouam τελετὴν inuexerit in Palestina, & cultum veterem immutarit. Non inferiora portẽta sequutus Iulianus Apostata, primus est in hæresum satellitio, qui propter eundem cultum, ne sacrificium Ecclesiasticum quouis loco extaret in imperio laborauit vt testatur Diuus Chrisostomus in vita Iuuenci & Maximi Martyrum. A longè istos sequitur Berengarius impiißimus Nebulo & scurra sophisticus & totius tragediæ primas qui de corpore Domini in Eucharistia non verè atque ipsa re, sed simbolicôs tantum atque spiritaliter præsente horrendũ commentum tulit. Illud tamen bis author in conciliis sub Leone 9. Vercellensi & Romano non voce modo publice nihil dubitauit hæresim fateri, eamq; parricidiali manu enecare, damnare, & euomere, sed indelebili etiam chirographo interimere atque decantare. Et tandem cum animam, tot vulneribus sauciam, effiare vellet, dicebat se partim Doctorum Ecclesiæ constantia victum, partim vi miraculorum huius sacramentis vt in eo Christum præsentem agnosceret, quem sibi eò die appariturum vel ad iudicium vel ad remißionẽ peccatorum præstolabatur. Sed extincto Berengario, Berengarii non extincta est hæresis, stolones repullulantes quamplurimos, ex quibus reliquæ hæreticorum Phalanges armantur. Harum præfecti

fecti & Cen..riones sunt Germani Magdeburgenses qui nullum v..is relictum esse sacrificium probare frustra cōtendunt. Lutherus abrogandas esse missas clamitat, odio summi pontificis, doloreq; quæstus amissi & alio translati perditè pulsus. Is autem forti veritatis clypeo concussus, fatetur tandem se temere in veneranda patrum caniciē arma tulisse, nam etsi libenter ruinam Pontificatus moliretur, & Catholica omnia præsidia euertere tentaret, ludere tamen operā eum scire cum hæc verba quibus nimirum nostra mysteria peragimus nullam interpollationem aut deprauationē admitterēt. Iam Lutherus ab acie hæretica expungitur. Perduellem illum & fanaticum impostorem accusant Maiestatis, Caluinistæ, quod frigidiùs in Catholicum sacrificium certet. Lutheri Discipuli præuaricantur, à præceptoris placitis euariant. Sed eò omnes tendunt vt incruentum Christianorum sacrificium funditus extirpent. Ut irritus est horum conatus sic profectò impius. Nullo aliunde quæsito præsidio opitulantur quam Iniuriarum, cauillationum & sophismatum cōgerie. Nos vero vndique cingimur sacra patrum authoritate & conciliorum viribus. Fides, vexilla nostræ militiæ tenet. Et quia credimus nos intelligimus. Non phisicis rationibus sed sola fide præualemus, & has hydras renascentes concutimus. Perhenne Christi verbū nobis suffragatur, accedit & incōcussa Orthodoxæ religionis authoritas. Credimus Beatum Petrum Anthiochiæ, & Romæ, Iacobum fratrem Domini & Apostolos singulos in eorū diocæsi lithurgiam & sacrificium altaris celebrasse, & ab ipsis fidei incunabulis semper in Ecclesia Catholica pium & Christianum illum cultum perdurasse. Co uenit nostris Euangelicis sacerdotibus, quod & Theologus noster Gregorius Nazianzenus de sacerdotibus Constantinopolitanis scribit.

ὦ θυσίας πέμποντες ἀναιμάκτους ἱερῆες.

O sacrificia immolantes incruenta sacerdotes.

Sexcenta habemus propugnacula. Habemus & Christi verba à quibus recedere summum nephas. Illius ergo suppetiis firmatus in excidium horum sæuißimorũ Luporũ qui florentißima Galliæ regna rabido morsu lacerant, & distrahunt, hunc librum nouißimè è cineribus Musæi selectum & antea inter Belgicos furores & tumultus cũ diuinum Verbum prædicandi gratia Antuerpiam accitus fuissem conscriptum typis dare amicorum precibus coactus sum. Ampliora decreueram si officij mei ratio otium liberiùs auxisset, sed in re toties repetita & decantata à tantis Doctoribus diutius immorari operæ precium non visum est. Ad hunc mouẽdum lapidem me compulêre huius ætatis tẽpestas, Ecclesiæ gloria, & pacis fructus. Sopitis enim hæresibus Euangelicum sacrificium oppugnantibus extinctum iri furores & clades nemo dubitat. Dolebam Aduersarios scriptura Thrasonum in more gloriari, & ab eius vera & natiua interpretatione semotos in leues scopulos impingere, & fractis velis opinionũ fluctibus naufragari. Aegrè ferebam omnes nugari Missam nullo scripturæ testimonio firmari, sed Papisticum quoddam inuentum sacerdotum questu Gregorij temporibus excogitatã fuisse, hominibus quos spectris & mendaciis effacinarant persuadêre. Verum enimuerò ita aberrant à recta linea vt nihil sit in hac tota sacra lithurgia quod Christi aut Apostolorum ex ipsius scripturæ sacræ sententia non constet. Confundentur labia pseudoeuangelicorum qui omnia primogeniæ Ecclesiæ dogmata tam audacter ad dementißimas nænias conuellunt. Eos tandem pudeat pristini erroris, &

quan-

quandiu errores extincto fidei lumine per varia opinionum Dædala delusi sint, intelligant. Frustra multiplicantur qui veritatem obsident, qui leges Ecclesiæ à maioribus spiritu sancto docente datas, antiquare volunt: frangentur instar testæ. Dixerunt, Dirumpamus vincula eorum, sed Dominus subsannabit eos, & qui habitat in cælis deridebit eos & tanquā vas figuli confringet eos. Quicquid ergo hoc nostro opere præstitimus id in Ecclesiæ decus & augmentum factum est, vt in publicam lucem euulgetur diuinis auspiciis & Clarissimorum Lugdunensis Ecclesiæ Comitum nominibus illustre, quibus dicatur, méque ipsum iampridem officiosè deuoui. Additur pariter tribus Classibus Oeconomiæ Canonicæ, vt sacri Ministri noscant præcipuum illud esse Margaritum à Christo, sponsæ Ecclesiæ custodiendum traditum. Turpe est Sacerdoti sacra dogmata, turpius nescire quid & quale sit Christianum sacrificium. Nec temerè à Iurisconsulto dictum est, Turpe esse Patritio Viro, ius eius Ciuitatis in qua versatur ignorare, nec minus prudenter dicimus turpissimum imo & perniciosissimum esse præsertim hodie Præsbytero quæ sunt præcipua Christianismi fundamenta & Ecclesiæ Catholicæ insignia minime nouisse. Idcirco lorica verbi Dei induti & securissima illa Ecclesiæ Panoplia, liberè aggrediamur monstra illa quæ in nos mille modis grassantur. Colligamus hos flosculos sacræ scripturæ quibus nostræ fidei tropæa ornantur, & si quid est bonorum aromatum demittamus in stomachum, traijciamus in venas, vt non solùm nos & vicinos odore gratissimo solemur, verumetiam ab exitiali hæresis peste liberemus. Proponit nobis sacra scriptura sua saluberrima Alexipharmaca, quæ omnibus mentis sympto-

matibus medentur. Apiculatim satis puto ea omnia attigisse quæ ad Christiani sacrificij essentialia pertinent, adiacentia ista ab aliis, & dilucidius, & fusius tradita postulentur. Insigne ergo animi mei pignus Clarissimi Domini hilari fronte & candida excipite. Interea flagrantibus votis Deum rogitare non desinam, vt in Augustæ Lugdunensis Ecclesiæ commodum diu vos seruet incolumes.

.

Amplitud. v.

Humilimus cliens.

F. Petrus de Bollo.



DE VERITATE EVANGELICI SACRIFICII EIVSQVE DIVINA INSTITVTIONE ET ANTIQVO IN ECCLESIA CATHOLICA CVLTV.

Authentica probatio ex veteris & noui teſtamenti authoritate.

QVAMQVAM ſani & æqui iudicij neminem fugiat, Eccleſiam Chriſtianam & Catholicam, longęua temporis authoritate, & antiquiore cultus reuerentia, noui teſtamenti omnia penè ſcripta excellere, diuinaq; myſteria legis gratiæ (quorum celſitudinem miramur, & noſtris lucubrationibus rudem plebeculam Hęreticorum impoſturis, blandiciis, minis, terriculamentis, obteſtationibus, horrendiſque narrationibus ſeductam edocere indies conamur) a octo ferme annis poſt Chriſti inſtitutionem Euangeliographorum ſcriptis breuiter & compemdioſe, commendata eſſe, attamen excuſſa & peſſumdata religionis Chriſtianæ praxi, quæ Chriſto traditum, Apoſtolis excultum, Martyribus & ſanctis patribus prædicatum noui teſtamenti ſacrificium ſemper ſub hac conuexi cœli machina vbique gentium cuſtodiuit, hæretici veteris inſolentiæ criſtas extollunt, noſque multum ſuis deliriis attriuiſſe putāt, vel hoc ariete ruituros exiſtimāt cū nos frigida quadam doctrinæ ſpecie interrogant, quibus in locis noſtræ fidei, & veritatis monumenta conſtent, quibus propaculis tueatur domus noſtra quis ſuper-

a Praxis euangelici ſacrificij, præceſſit omnia noui teſtamenti ſcripta octo propemodum annis.

Hæreticorum mala mens in abrogando ſacrificio Chriſtiano.

 ſtruxerit.

ſtruxerit columnas,quis baſes locarit,quibus denique ſcri-
pturę ſacrę inſigniis illuſtretur oblatio illa Euangelica quę
ſacrum dicitur Miſſæ ſacrificium. Hac in re profectò imi-
tantur ſubdolas cauillationes cauſidicorum qui miris in-
Simile. uentis cũ ſpe in deciſione principalis exciderint,ad acceſ-
ſoria tranſeunt,cum etenim ſe verè excluſos videãt à ſub-
ſtantia facti, exibilant, carpunt,vellicant, calumniantur &
Acceſſoria Miſſæ ſacrificio ſcriptura & traditionibus probata. condemnant adiacentia illa (quæ orationibus, gratiarum
actionibus & certis cæremoniis ab Apoſtolis traditis con-
ſtant) haud ſecus atq; aniles fabulas traducunt,deinde ſa-
crificium ipſum merum commẽtum & humanum inuen-
tum nunquam Chriſti ſalutifera doctrina inſtructũ corni-
Κρώζειν cornicari pro eo quod eſt inepte garrire. cantur & exclamant inde Miſſam venuſtũ vocabulum ſor-
titam eſſe,vt ſacerdotũ vel auaritię vel luxui ociũ ſuggerat.
Diuagãtur autem cum de ſacra corporis Chriſti oblatione
oritur queſtio,nugatoriè etiam & inaniter antiquatos ob-
ſoletoſq; errores renouãt & ab Eccleſia catholica reiicere
volunt Chriſti corpus,quod tamẽ vſque ad conſummatio-
nẽ cũ illa ſacramentaliter & inuiſibiter permanere debeat
vt pollicitus eſt.Sed ſi matura & occulatiſsima mẽtis inda-
Matth. 18. gine cõſideremus ea etiam omnia quę appẽdicis loco tri-
buuntur huic ſacrificio,facilè piis omnibus videbitur nihil
proferri neq; ſperari poſſe fide dignius vlla,nec magis ſcri
pturæ ſacræ authoritatibus conſentaneum quam quod in
ſacra Miſſa,legitur & celebratur. Et cùm nulla exiſtiment
rata eſſe teſtimonia niſi diuinis literis prodita, vt penes ſe
omne conſultum & decretum velint eſſe iudicium & vice
oraculi aut cuiuſpiã numinis è cœlo dimiſsi habeant quic-
ὡς ἐκ τρίποδος translatum a Tripode vel Delphica vel Pythia duorum oraculorũ ſummæ fidei. quid dixerint, tanquam è Phœbi tripode prolatum,velim,
tales ſummos Hermetes ſcire, nihil in tota ſacra pagina
clarius eluceſcere,nullum cęremoniarum genus, nullum
Inſtitutionis Iuſiurandum, nullum doctrinæ experimen-
tum,nullum miſteriorum celebrius nomẽ exiſtere, diluci-
dius aut ſplendidius diffuſum ipſo ſacroſanctæ Miſſæ ſa-
crificio. Non de nominis aperta expreſsione nec proprie-
tate fertur oratio, ſed de oblatione illa pura, incruenta,
munda, corporis & ſanguinis Ieſu Chriſti, quæ certis ce-
remoniis perficitur in memoriam ſuæ paſsionis, quam pro
nobis

nobis in cruce ſponte obtulit, vt noſtra expiarentur delicta, noſq; Patri æterno extorres redderet, cœleſti beatitudine & vita illa perenni dignos, quæ etiã iugi & continua religione in ſacra & ſancta Eccleſia catholica ad hæc vſq; tempora excolitur & veneratur. Non vocis appellationem calumniari poſſunt, qui in nos, tales moliuntur ambages, quia licet eorum cœna quæ nullis teſtimoniis ſacræ ſcripturæ in ipſius nominis deriuatione quod pro ſacramento ſortita eſt innitatur, nullúmque expreſsè habeat tanti Epitheti ne ſingulare quidem inter tot vtriuſque teſtamenti volumina indicium, quo probari poſsit in his, Sacramenti dignitas ſubſiſti, quemadmodum & de Baptiſmo & cæteris quæ peculiarem non habent ſcriptis diuinis & nomenclaturæ naturam, ea tamen inter ſacra myſteria diuinitus inſtituta collocant, cum propriis calculis deuicti cogantur huiuſcemodi omnia inter traditiones referre temerè emendicato ſcripturæ ſuffragio : in qua nulla prorſus horum terminorum & appellationum conſpicitur authoritas, imò ne minimum quidem Iota his conſtituendis nominibus adhibetur. Quamobrem ne diutius Hæbreorum, Græcorum & Latinorum interpretationes moremur de huius ſacræ Miſſæ in Eccleſia tam celebri & tam digno titulo, qui propriè diuinam ſacrificij maieſtatem & amplitudinem præ ſe fert, nos fauentibus ſummi gratiarum omnium largitoris auſpiciis methodicam noſtri tractatus rationem exordiemur ab ipſius Miſſæ ſacra celebratione prout ordine ſublimi & Catholico noſtris ſuſpicitur & veneratur in Eccleſiis, ad hoc ſacrum munus deſtinatis. Proteſtamur autem nulla nos aliunde ope vel ſuppetiis inniti quam vero ſacræ ſcripturæ teſtimonio, quod pura & natiua dignitate non extortum nec laceratum nec circumquáque coactum aut ſenſus humani arbitrio violatum in medium ad veteres dirimendas lites, ad retundendas ſchiſmaticorum blaſphemias & compeſcenda blateronum præſtigia quo veritas ſole meridiano ſplendidior in hoc auguſtiſsimo Sacrificio eluceſcat adferemus.

Iugulantur hæretici qui volũt omnia ſcriptis certare cum ea etiam quæ pro ſacramentis venerãtur vt ſunt cœna & baptiſmus ſcripturis minime conſtẽt.

Plura ſunt in Eccleſia quæ nõ ſcriptura ſed traditione conſtant

Propoſitio & proteſtatio authoris.

Primum ergò omnium ſummus adeſt liturgus & Sacri-

ficus presbyter qui in conspectu altitonantis, astantibus populis piam & dignam introductionem & parasceuem instruit, néve quid humanę fęcis, odij, inuidiæ, pectori coalescat expurgat alta & humili confessione peccatorum sordes, nec id absque diuina pręmonitione facit, qua quidem
Psal.31. dem fretus regius Psaltes antequam sacra adyta aggrederetur canebat. *Dixi confidebor aduersum me iniustitiam meam*
Prou.18. *domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Pari consilio dicebat sapiens *Iustus prior accusator est sui.* Cuius ingenuę confessionis Diuus ille sacris mysteriis peruigil Apostolus &
1.Ioan.1. Euangelista vtilitatem palam fassus est cum inquit. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est Deus & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Idcirco quo meliùs terribili Deo sacrificaturus immaculatam hostiam præsentet gratus & voti compos reddatur Sacerdos, tersum & mundum efficere conatur cor suum, & pro peccatis altissimum sædulo explicato conscientię reatu deprecatur. Hoc veluti primo gradu, humilitate nimirũ, ad maiora conscensurus ingentes gratiarum promeretur aceruos & exorabilem Dei contemplatur benignitatem, Quapropter antequam propiùs ad altare perueniat toties feruenti mentis & cordis affectu priora peccata detestatur, conterit illecebras, & tuso pectore toties in hæc verba fertur *Mea culpa, Mea grauissima culpa.* Quis nõ videt supplices in cœlum manus, & hæc summa anhelãtis ad sublimia my-
Luc.18. steria animi Deo non minus placere, quã olim Publicani placuit oratio? *Qui nolebat nec oculos ad cælum leuare, sed percutiebat pectus suũ dicens, propitius esto mihi peccatori.* Hinc vt exardescentis Christianæ & fideliũ congregationis charitas, toto nutu annuat sacrificij intentionibus, pari peccatorum confessione oblata, preces deuotissimè fundit, quæ ad diuinam misericordiã implorandam multum faciũt, *Confitemini* (inquit D. Iacob) *alterutrũ peccata vestra, & orate pro in-*
Iacob.5. *uicem, vt saluemini.* Cũ ergo Sacerdos intelligat Deum iusta trutina & ad amussim, veluti corda hominum librare, quodque ea contrita & humiliata non despiciat, vt iustifi-
Isai.34. cari mereatur (inquit Isaias) pandit iniquitates suas, abdita cordis aperit, vt suis rutilet diuinus fulgor peccatis, discutit

ſcutit inquam nubila illa teterrima, & Cymmeriis tenebris obſcuriora purgat, & illuſtrat vt vox illa perſonet auribus *Ecce tetigi hæc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur.* Scriptura apertè pronunciat non eſſe ſpecioſam laudē in ore peccatoris, aſt quis dēſa vitiorum caligine deuenuſtatus audebit corā ſpecioſo præfiliis hominū, imò ipſius agni immaculati ſplēdore ſacras litare hoſtias: Quis hac iniqua ſcelerum tabe, & ſordium torpore fœdus manibus pedibuſque vt aiūt non obſequetur Pauli ſententię: cuius ea potior eſt ratio vt probare ſeipſum velit imò hortetur & iubeat hominem *antequam de pane illo edat & de calice bibat. Qui enim mandacat & bibit indignè iudicium ſibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini.* Et vt obſtacula, illa omnia quæ interponuntur & obtruduntur piæ mentis intentionibus aut boni operis conſiliis, corruant, acceſſum difficilē minatur nobis Deus niſi priùs proximorum dirimentur lites, & diſcordię conſopiantur. Idcirco Presbyter ſe ſuis, ſuóſque ſibi mutuo charitatis vinculo reconcibat, memor diuini præcepti. *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuū.* Ab initio enim reſpexit Deus munera Abel quoniam cum iuſtitia & ſimplicitate offerebat, ſuper ſacrificium autem Caim non reſpexit quoniam cum zelo malitia, & inuidia quam habebat aduerſus fratrē, diuiſionem habebat in corde. Illi itaque ſacerdotes qui indignè ad horum miſteriorū celebrationē accedūt ex eorū numero ſunt de quibus ſcriptū eſt *neſcientes dominum neque officium ſacerdotum.* Quapropter Chriſtus prius quàm progrederetur ad ſacrorum myſteriorum conſummationem lauit pedes diſcipulorum, nec pedum ſordes tantum, ſed animi infirmitates humanæ fragilitatis procacitate contractas, quodquidem enucleatiùs apparebit ſi ſermonum habeatur intellectus, nō enim dixit Petro *ſi non lauero pedes,* ſed compreſſius & generalius *ſi non te lauero non habebis partem mecum. Qui lotus eſt non indiget niſi vt pedes lauet ſed eſt mundus totus. Et vos mundi eſtis ſed non omnes,* ſciebat enim quis nam eſſet qui traderet eum, pro-

Iſa. 6
Eccl. 16.
Pſal. 44
Corinth. 11.
Matth. 5.
Geneſ. 4.
1. Reg.
Ioh. 13.

pterea dixit non estis mundi omnes. Christus itaque sacri huiusce cultus Archetipus priusquam lauaret pedes discipulorum ante sacramenti altaris institutionem, surgit à Cœna & ponit vestimenta sua, & cum candidũ accepisset linteũ precinxit se: eũdem studiosè imitari videtur presbyter, qui alba niuea amictus, generali illa absolutione adstantium peccata abluit, sin malis infirmitates mentis purgat, diluit & discutit, & cum pari humanæ naturæ iure conscius sit & peccatorum fomiti obnoxius vel (vt Pauli verbis vtar Hebreorum 5.) circundatus sit infirmitate idcirco ei preces populi & publici absolutionis consensus suffragantur, quibus in rebus mira effulget fidelium harmonia, vt mutuæ dilectionis fragranti suauitate hic Christianorum olfacere possis Catholicam atq; odoratissimam charitatem. Nemo ergò impunè debet huius S. sacrificij tãta auspicia temerè calumniari, cum non solum Prophetarum, Apostolorum, & Euangelistarum scriptis stipulentur, verum ipsius summi Sacrificij Iesu Christi institutioni cohæreant.

Ioan. 13.

Demum vt fidei nostræ constantia quam in nominis Christiani acceptione professi sumus, nostris in mysteriis eximiè innotescat, tũ vt ea præcipuè quæ in articulis fidei credimus de communione sanctorum, precum nostrarum comitẽtur vota, nos nõ minore ratione impellimur ad prouocãda cœlestium ciuium auxilia, quàm ad sanctorum societatẽ in terris degẽtem deprecandam eámq; obtestamur deuotionis & pietatis præbere assensum. Nec desunt qui talẽ ritum comprobẽt, maximus enim eloquij diuini protomysta Paulus Angelorum & beatorũ cum his qui terram incolunt Ecclesię corpus constituit, nec illud diuidi absque sacrilegio potest, etsi in hoc saltem differant, vt illi sint iam in perenni requie, isti in eiusdem proxima expectatione sperent. Idcirco quoniam dubium non est, Ecclesiam in cœlis triumphantem ardentissimas charitatis suæ faces non extinxisse, eiúsque decus clarius fulgere, nec pigro abundare ocio, in condolendis nostris infortuniis aut piis congratulandis votis (charitas enim non excidit sed in æternum fraternitatis sibi coherentis vnitate durat) nemo profectò nisi pœnitendæ blasphemiæ reus negabit beatas illas

Heb. 12.
Ecclesiæ triumphantis & militantis discrimen.
1. Corinth. 13.

illas animas exercere ſpiritualia charitatis opera in noſtri ſubſidium nec eas latere quid noſtra corda efflagitent. Et profectò fruſtrà columnæ & baſes ſcripturæ ſacræ authoritatibus dicerentur, niſi nos miſeros & vacillantes ſuis precibus fulcirent, quodquidem aduerſariorum mentes ita vrget, vt huic ſententiæ adſcribi vellent ſi apertius docerentur quomodo ex tanta locorum intercapedine fieri poſsit ſanctos noſtras audire voces, noſtris miſereri ſuſpiriis quo citius voti compotes nos eſſe contingat. Deum Immortalem, quam male habetur cum iſtis qui doctrina cupidi doceri nolunt. Sybillæ (vt aiunt) veriora ſunt foliis iſta omnia quæ Chriſtus protulit, protulit autem Diuos angelis conſimiles, Angeli verò gaudent cum ipſis ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, gaudere quidem non poſſent niſi certiores rerum tanta exultatione dignarum efficerentur, hoc eſt niſi quadam ſupranaturali cognitione ducerentur ad noſtri ſtatus & conditionis intellectum, Eſt enim axioma ſatis tritum. Volũtatem nõ extendi in incognitũ *Quod cum Chriſtus diuino ſuo numine probè intelligeret, ſanctum illũ his promiſsis adoritur. *Qui vicerit & cuſtodierit vſque in finem opera mea, dabo illi poteſtatem ſuper gentes & reget eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringentur, ſicut & ego accepi à patre meo.* Cognitio gentium & regnorum neceſſaria eſt illi qui horum regimen adminiſtrãdum ſuſcepit. In caſſum autem hæc pollice retur Chriſtus ignorantia rerum huiuſmodi inuoluto. Ridiculus enim Rex qui ſtatum regni neſcit, & fatuus Legiſlator qui politicam adminiſtrationem ignorat. Cætera ex Dauidico concentu deſumpta ſunt, & paterna voce ipſi filio conceſſa, qui paſtorali virga gentem ſuam moderaturus erat, & eorum impietatem veluti fictile vas confracturus. Sanctis ergo trophæa victi ſathanæ ferentibus, & impietatum omnium, malæque doctrinæ furores vincentibus nec non in Chriſti fide perſeuerantibus huius regiminis excellentia promittitur, eáque tunc concedenda quando ſub paſtorali pedo gentes reguntur, vitia retunduntur, errores exulantur, & eorum prauitas tanquam vas figuli confrigitur ante reſurrectionem nimirum & extremum Iudicium.

Apoc. 3.

Luca 15.

Quomodo angeli noſtras preces audiant

Apoc. 2. g.

Pſal. 2.

* *Adde quod ſi noſtris vocibus ſurdi eſſent Diuus Paulus ad teſtificandũ non vocaret angelos his verbis 1. Timot. 5. teſtor coram Deo & Chriſto Ieſu & electis angelis vt hæc cuſtodias ſine præiudicio nihil faciens in alienam partem declinãdo. &c.*

dicium. Egregium profecto munus, & tantis fœlicibus ſpiritibus dignum, qui noſtras intuētur ſedes & orbis vniuerſi plagas ſuæq; ditionis fines ſuſpiciunt. Quæ enim niſi ridicula eſt præfecturæ, aut officij poteſtas, aut regimē eius qui ſubditos ſuos eorúmq; negotia non nouerit. Sed quomodo laterēt vota noſtra qui mēbra noſtra ſancta ſunt, quū non lateant Angelos, qui de ſubſtātia noſtra nihil habent? Quis non certo credet & diuis commembris & confratribus noſtris orationes, lachrymas, & eleemoſynas in conſpectu altiſsimi offerri poſſe? Quare hoc priuilegio gauderent tantū angeli fuſis & reiectis ſanctorū meritis & interceſsionibus? Percunctanti mihi vnde ſciant Aduerſarij ab angelis noſtras intelligi preces, ſine mora reſponſum tale dabitur. Quia mittuntur in miniſterium, nos verò preces noſtras ſanctos intelligere aſſerimus non quod mittantur ſed quod pro nobis orent. Quemadmodum enim neceſſaria eſt ad nos angelorum miſsio, ita & ſanctorum pro
Act. 19. nobis oratio: At id inquiunt ex verbo Dei nō conſtat, Peti-
Luc. 16. mus igitur vnde cōſtat angelos noſtras intelligere preces? Ex Cornelij hiſtoria dicunt, Rem gerimus, & nos ex ipſa euangelij hiſtoria multo manifeſtiùs conſtare ſanctos noſtras intelligere preces (nam hiſtoriam eſſe nō parabolam de Lazaro & diuite ipſe etiā Caluinus fatetur) ſi enim diuitis in inferno cruciati anima cum magnū eſſet inter eos Cahos firmatum preces audiuit Abraham ac huius reſpōſa, quid vetat quo minus mortalium preces audiant, cœleſtes illæ animæ ſuper aſtra beatæ? Scilicet Epulo ille luxurians, vorax, deſes, ventricola, flammis ſtygiis perpetuò deuoratus non ignorat quid in paterna ſua domo agatur, & ſancti Dei amici ignorabunt quid fratres ſui agant. Clara ſunt hæc. Et diuinæ ſcripturæ non carent authoritate. Oratur vt interceſsionibus Angelorum & ſanctorum fœlicitate immortali in cœlis viuentium nobis vitam hanc miſeram trahentibus ſuccurratur, imo vt preces illæ quæ fiunt pro ſuperſtite in terris cœtu fidelium, votis applicentur noſtris, quatenus nos noſtráque Deo commendent vt tandem cum ipſis victo ſæculo plauſibiles illos choros beatitudinis & gloriæ adipiſcamur. Et ſic pulchra Eccleſiæ triumphantis

triumphantis consonantia suaui charitatis vinculo militanti sociatur eámque diligit, vt in vniuersali iudicio cum ipsa in perpetuum coronetur, quoniam de sua est secura incolumitate, ita de nostra salute est sollicita, nam quod illi iam tuto possidēt, nos in spe certa expectamus. Sic enim liquido constat sanctos non habere peccatores pro execratis, sed cum iis inire fœdus, eos amare non veluti contagiosos abominari, aut miseriarum elegias irridere, quinimo nobiscum in tam multis ardentis charitatis flammis communicant. Quis ergo nisi talpa aut Leberide cæcior, facile non conspicit hæc veritatis radiis & summo ipsius scripturæ fulgore illustrari? Scriptum est in Apocalipsi animas interfectorum propter verbum Dei, & propter testimonium quod habebant, clamasse voce magna dicentes: vsquequo domine (sanctus & verus) non iudicas & non vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant in terra. Hic sublimia petens sydera clamor non oriebatur vindictæ motibus, sopitis enim corporis sensibus consopiuntur in his cæteræ passiones & praui affectus, sed ex ingenti desiderio iuuandæ Ecclesiæ & propagandi nominis diuini, æstu flagrāte charitatis procedebat. Quod si ad vindictam malorum omniū vltorem prouocant, quantò magis ipsum gratiarum amantissimum ad effundēdam misericordiam interpellet eorum animus beneuolus & propitius? Verum ne quicquam ex his quæ nostri sermonis instituto cōferre possunt insalutatum relinquamus, néve nobis scripturam sacram deesse arbitrentur in tutelam superioris argumēti, omnia iam præsto adsunt. Euangelista Matthæus verbo Christi comminationem talem instruit, *videte*, inquit, *ne contemnatis vnum ex his pusillis. Dico enim vobis quia angeli eorum in cœlis semper vident faciem patris.* Hominibus eoudem sensus quantumuis & mineris notæ verba hæc adeò limpidissima sunt vt nec in controuersiam interpretatio possit adigi, nam quid aliud sibi vult tota illa pericopus quam quod nulla sit ferenda iniuria pusillis, quia angeli eorum videntes faciem patris semper cognoscunt, quæ hic geruntur. Quod cum contrariis retundi non possit dicteriis certo scimus Beatos qui ad Christum concesserunt, intueri

Apocal. 6

Matth. 18.

ſummi Dei faciem, & quemadmodum ipſi angeli rerum mundanarum theatrum contemplantur ita etiam ſanctorum animę ſpeculantur quicquid in orbe terrarum agitur, ſpectans ad illorum beatitudinem. Et ſicut in ſpeculo retroadſtantes intuemur, ſic & ipſi oculorum mentis perſpicaciore acie in ſanctæ Trinitatis vultu ſplendeſcere & lucere vident orationes & ſuffragia noſtra. Qua quidem in re iugulantur meritò omnes ſchiſmatici illi quibus perſpecta & cognita omnia eſſe volunt, quæ in cœlis fiunt, ſolos Diuos cæcos & ſopore frigido veluti Marpeſiæ cautes extinctos fingunt. Cœleſtem curiam veterno quodam deliteſcere aut ingrato ocio ſepultam, nulláque rerum terreſtrium cura vel ſollicitudine teneri nugantur. Quæ res nō abſque inſolentiſsima audacia & infanda ſuperos calumniandi inuidia dici poteſt. Verbum enim Dei eſt. *Ex parte cognoſcimus, cum autem venerit quod perfectum eſt, abolebitur quod ex parte eſt.* Quæ igitur in hac vita cognouerunt Prophetæ, in gloria cōſtituti ignorabūt? Cœleſtis beatitudinis lumē, qua fruūtur fœlices animæ longè clarius & illuſtrius eſt lumine prophetico, vt neminem lateat ipſos Diuos ampliore gaudere lumine. Quod ſi Eliſeus agnouit fraudē Geizi radiis prophetici luminis, Daniel ſomnium regis Nabuchodonoſor, Petrus denique Ananiæ & Sapphicæ malam mentē detegit: rectius & accuratius Sanctos orationes mortalium ad ipſos directas agnoſcere impium eſſet dubitare. Quod ſi idem Petrus excelſo illo transfigurationis filij Dei collegio in cacumine montis Thabor, Moſem & Elyam longè antea defunctos agnouerit, quid obſtat quominus nunc idem Petrus corpore exutus & perſpicacioribus oculis lumine diuino illuſtratus, Eccleſiæ militantis vota non cognoſcat? Quod ſi tam lucida fuit hominis nondum peccati tenebris excæcati cognitio vt Euam matrem quæ ipſo dormiente condita fuerat illico expergefactus agnouerit quod caro eſſet de carne ſua & os ex oſsibus ſuis annon maiorem illis obuenturā putabimus qui in cœlis omni ex parte perfecti ſunt? Cùm autem vrgeat charitas vt pro viribus neceſsitatē patienti ſubueniatur, mortales autem nunquā non ſubuentione indigeant, ſequens

1. Cor. 13.

Probatur ſanctos audire noſtras preces per charitatem qua flagrant.

4. Reg. 6.

Dan. 2.

Act. 5.

Matth. 17.

Geneſ. 3.

ſequens eſt ſanctos aut nõ poſſe (quod iam refutatum eſt) aut certe nolle (quod longe abſurdius cenſetur) mortalibus ſubuenire.

Mirari ergo deſine hæreticorum petulantiam, qui quoniam lethargia veluti quadam aut profundo ſtupore in ſeipſis omnem Charitatem marcidam & tabidam imò extinctam eſſe norunt, ſuis ſtateris cætera librant & ex ſe veluti proprio pede omnia metiuntur & non putant in quoquam Chriſtiano ſiue illo cœleſti pręmio iam ditetur, ſiue ille ſit apud nos in hac communi peregrinatione vel ſcintillulam charitatis eſſe relictam. Sed quantum à verò tramite aberrent, & ſuis fallantur numeris, ſequenti probabitur argumento. Omnes qui flammis charitatis æſtuāt cupiunt ſcire & noſcere proximorum miſerias vt illis ſuppetias præſtò conferant, exequantúrque illud quòd à natura cordibus noſtris inditum eſt in præſtanda celerrima ope omnibus qui hoc amplum proximitatis nomen nobiſcum contraxerunt. At certò credimus ipſius diuini verbi iudicio beatas animas ſummo charitatis ardore ſuccendi, vt ergo tantæ charitis exiliant flammæ eò maximè cupiūt noſtros intelligere planctus, cum diuini illi ſpiritus nihil expoſtulēt & charius aucupētur quam oppreſsis patrocinari & occurrere oppreſsionibus. Nemo poteſt meritam huic ſententiæ auferre coronam, hoc argumentum omnium contradictionum aciem retundit. Cum igitur fruantur cœlites cœleſti & incompaehenſibili beatitudine illa, noſtróſque queſtus intelligere contendant ſequitur eos pij huiuſce voti adipiſci effectus, alioquin perſecta non credentur beatitudinis gloria donari qua duce nihil inexorabile aut impoſsibile deſideratur. Quod quidem inficiari nequit niſi his, quibus legitima beatitudinis definitio non ſatis conſtat. vel qui cõmunionem ſanctorum ſacro Apoſtoli penicillo depictam ignorant, vel qui reginæ charitatis baſilicam omnium virtutum cuſtodem ingredi noluerunt, Et his tribus veluti firmiſsimis fulcris ſtabilitur huius rationis efficacia, cui tres adhuc ſuperſtruuntur ex euangelica & apoſtolica lectione deceptæ. Prima eſt Lucæ referentis Concilium Chriſti dum dicebat *Facite vobis ami*

Hæreticis omnis Charitas refrixit.

Altera ratio probans sanctos nostras audire preces.

Tribus scripturæ rationibus probatur sanctorum inuocatio.
Luc. 16.

cos de Mammoma iniquitatis vt cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula. Quomodo remetietur gratum munus Eleemosynæ diuitis impensæ pauperi qui statim eo accepto moritur, nec pinguioris fortunæ experitur fauorem, nisi orationis & precum fœnore? Secunda eiusdē Archigrammathæi Euangelici misterij colligitur ex monumentis, vbi summi & liberalissimi gratiarum remuneratoris pollicitationes commendat dicens. *Date & dabitur vobis. Mensuram bonam confertam & coagitatam & superefluentem dabunt in sinu vestro.* Vbi fœnerabuntur locupletes illos misericordię concessæ, fructus, præsertim si Lazari instar præ foribus diuitis auari suscepta Eleemosyna illico commoriantur? Creditum illud æs soluitur verè in futura vita, & remetitur merces & gratia illa in cœlis vbi cœlestes adepti thesauros suis suffragiis & precibus nobis opitulabuntur adeo vt ingenti cum fœnore caduca & terrestria ista beneficia pusilla videbuntur tantæ gratiæ pretio. Tertia à diuo Petro Apostolicæ togæ Coryphæo desumpta est, qui pio Charitatis zelo succensus, antequam corporis tabernaculum deponeret fidelibus sibi vnicè coniunctis maximū suæ mentis pignus reliquit, taliáque pollicetur post exitum hominem in cœlis præstare, *Dabo operam, & frequenter habe vos,* nimirum commendatos in animo, *post obitum meum, vt vorum memoriam faciatis.* Vnde liquet curam viuentium superis non deesse. His in superiorum robur hæc struximus propugnacula.

Tertia ratio. 2.Pet.1.

In Psalmo 31. dixit propheta ad dominum, Pro hoc orabit ad te omnis sanctus in tempore oportuno. Qui dicit pro iniustitia hominum remittenda, omnem sanctum oraturum non excludit sanctos qui nunc in æterna requie gaudent & orant pro nobis, Apud Hieremiam prophetam 15. dominus ita loquitur, Si steterint Moyses & Samuel coram me non est anima mea ad populum istum, Quibus verbis insinuat apertè dominus, sanctos illos viros in lymbo patrum adhuc constitutos pro viuentibus solitos funde orare quod liber Machabæorum canonicus (vt pote ab Ecclesia licet non a Iudæis receptus) satis euidenter ostendit narrans quomodo Onyas summus sacerdos tum vita defunctus

Hiere.15. 2.Mach.15.

functus apparuerit Iudæ Machabæo manus protendens & orans pro populo Iudæorum. Cum quo visus est & alter admiranda gloria decorus, de quo ait Onyas ad Iudam hic est fratrum amator & populi Israel hic est qui multum orat pro populo & vniuersa sancta ciuitate Hieremias propheta Dei qui tamen longo antea tempore obdormierat in domino. Porrò vtriusque orationem non omnino fuisse inanem, ea quæ ibidem dicuntur indicant. Denique apud Baruch prophetam cap. 3. Iudæi qui erant in captiuitate Babylonica ita sequuntur orasse. *Domine omnipotens Deus Israel audi nunc orationes mortuorum Israel & filiorum ipsorum qui peccauerunt ante te* Præterea cum redemptor noster pro omnium salute penderet in Cruce, & circa horam nonam voce magna clamasset, *Ely Ely lamaz abactani* quidam illic stantes & audientes dicebant, Eliam vocat iste, ac si dicerent, Hactenus filium Dei se nominauit, at modo postquã pœnis quassus est Helyam inuocat in adiutorium. Vnde cum vnus ei acetum vellet porrigere ceteri dicebant. *Sinite videamus an veniat Helyas liberans eum*. Colligitur ergo tũc temporis, aliquo modo visitatam fuisse sanctorum inuocationẽ repulsa omnis locorum intercapedinis controuersia. Nam sacris Regum Israel chronicis constat Elysæum Elyæ successorem floruisse sub regno Iosaphat cum tamen dicat scriptura allatas fuisse literas ab Elya Propheta ad Ioram filium Iosaphat, quæ res non euenisse præter rem indicatur aut absque sollicitudine qua Propheta iam trãslatus ad Paradisi terrestris hortos ducebatur in cura & gratiam viuentium Sic argumentum à simili collatum vndique optima ratione firmari videmus, vt aliis non denegetur quod vni conceditur.

Baruch. 3.

Ioan. 5.

4. Reg. 3.
2. Paral. 21.

Non luditur itaque Christianorum intentio in sanctorum implorãdis auxiliis apud quos minimè repulsam passuri sunt, nec temere in generali confessione sacerdos eorum memor numinum fidem & operam attestatur quo citius quod expetit consequatur, & præpete aduolatu preces ante sublime Trinitatis tribunal dirigat. Sed hæc inuocatio non abit comitata, secum namque ducit cordis contriti humilitatem & pœnitentiam cum spe maxima, vt

hic imitetur prodigi filij recognitio cum dicit peccaui in cœlum & coram te. Placere autem Deo huius confeſsionis humilem & deuotum affectum tot conſultò, & ſalubriter pœnitentium exempla profitentur, nec arbitror quemquam criminari hanc orationis & exordij ad ſolennia peragéda myſteria normam, cum & laudetur Pharaonis confeſsio dicentis Moſi & Aaron, *Peccaui in dominum Deum veſtrum & in vos, ſed nunc dimittite peccatum mihi etiam hac vice, & rogate dominum* Deum *veſtrum vt auferat à me mortem iſtam.* Confundantur ergò omnes quibus impium aut piaculum videtur quod non ſolum peccata noſtra Deo ſed ſanctis confiteantur, ſi hæc rex Aegyptius feciſſe commemoretur, dicátq; vates Oſeas Iacob madida facie rogaſſe angelum vt ei dignaretur ſoſpitem largiri benedictionem. Hîc ergo primum Trinitati vulnus aperitur conſciétiæ, deinde adſciſcuntur veluti teſtes cœlites omnes quorum patrociniis confidimus, certóque ſperamus eorum meritis per Chriſtum, inanes non fore noſtras preces quapropter exultant æthera ſummam illam concordiam vtriuſque Eccleſiæ admirantia, Nam Apoſtolus dicit nos acceſsiſſe ad Eccleſiam primitiuorum qui ſunt in cœlis, id eſt, nos ciues illorum eſſe, & rurſus matrem noſtrã eſſe Hieruſalem, quæ eſt in cœlis, & Chriſtum eſſe caput ſuper omnem Eccleſiam, & certè non excluditur Eccleſia cœleſtis, at communio iſta neceſſariò exigit, vt membra inuicem ſuas adimpleant vices, ita vt valida debilioribus ſubueniant, hæc enim eſt natura membrorum ſub vno capite viuentium, Igitur ordini non tantum cœleſti ſed & naturæ conſentaneum eſt Sanctos qui ſunt membra corporis Eccleſię nos debiliores precibus iuuare & fulcire. Nec eſt quod moroſiùs cõſideremus vocis hæreticæ blaſphemiá quæ in hæc pertinacis aſſertionis verba prorumpens, orationes noſtras nõ poſſe mortuorum aures percellere, cum penitus ſeparentur à viuorum contubernio, aſſeuerat, ita vt duo corpora Eccleſiæ Chriſtianæ faciat eíque biceps caput porrigat alioquin portentum eſſet duobus corporibus & partium quantitate & humorum qualitate differentibus vnum tantum caput veluti arcem ſupremam totius politiæ

Exodi 10.
Oſeæ 12.
Heb. 12.
Epheſ. 2.
& 4.
Gal. 4.
Gloſſ. 1.

politiæ naturalis componere, & idcirco in his cardinibus aduersariæ propositionis ratio versatur vt autumet quod quemadmodũ Christus triũphantis Ecclesiæ caput est, ita necessariò sequitur aliũ quodpiã militãti præfici, nec huic opinioni refragamur respectu Hæreticorum quibus nulla cum sanctis vita functis communio, nec ideo vnius Ecclesiæ capiti respondent, nam veluti membra putrida & rebellia sese separãt à catholica corporis Ecclesiastici Oeconomia, & quemadmodum eiusdem caput Christus est sic & eorum Diabolus. Absit autem vt talia de nostra Ecclesia fateamur quæ phrenetici aduersariorum spiritus sugillãt. Nos enim in fide sic adolescimus, vt vtriusque triumphantis & militantis Ecclesiæ commune & inseparabile vinculum Charitatem esse protestemur, qua beatæ illius sedis incolæ cum fidelium Christianorum animis iunguntur, sub communi capite Christo, eorúmque compatiũtur infirmitatibus, cupiũntque pari beatitudine eos fore participes, & reciproca pij amoris vicissitudine nos beatorum congratulamur fœlicitati & innumeris gratiarum actionibus Deum laudamus, eò quod tanta confratribus nostris operetur beneficia, néve ingrato silentio tantæ gratitudinis sepeliatur memoria, nos eiusdem tum precibus, tum orationibus, & in ipsius sacrosancti sacrificij mysteriis frequenter recordamur. Quapropter si memineris eorum quæ superioribus paginis diximus, hæc fœdè vituperari ab hæreticis comperies, nostriq́ue sacrificij instructa auspicia laudabis, sanctorúmque intercessionem non minore precio haberi apud Christũ quàm quæ eidẽ telluris incolæ facta est oratio per Apostolos pro multis, per Cananeam pro filia à dæmonio vexata, per Centurionem pro filio, per batissimam Virginem pro conuiuantibus in Cana Gallileæ, erat enim tunc temporis supremus noster mediator intercessionis, ac vnicus redemptionis æquè ac nunc, ad dextram patris sedens, vbi interpellat pro nobis, vt docet Apostolus, & manus pedésque terebratos latúsque confixum ostendens, patrem flectit ad miserãdum, apud quem nos certo scimus beatorum preces maximi esse ponderis quas modo sacræ scripturæ probationibus vindicauimus

Ecclesiæ triumphantis & militantis commune vinculum Charitas.

Matth. 15.
Matth. 8.
Ioan. 2.

ab

ab aduerſariorum calumniis, adeò vt quiſquis ille fuerit tanta obcæcatus dementia qui dicere præſumat temerè nos ſanctorum ambire ſuffragia turpi ſe ſciat ſchiſmatis & hæreſeos crimine ſaucium. Sed redeamus ad Sacerdotem noſtrum qui ſacra diuina verbi eloquia recenſens, ſacrum conſcendit ad altare quodquidem piè exoſculatus tanquam menſam quæ coronis angelorum cingitur in inſignè conſecrationis decus cuius inferius commendationem proſequemur, auſpicatur quicquid futuri exequendi habet operis, ab imploratione diuinæ miſericordiæ quam cum Pſalmographo præueniri & foueri efflagitat toties repetito hoc Græculo elogio *Kyrie eleiſon, Christe eleiſon*, hoc eſt Domine miſerere nobis, quodquidem superiori confeſsioni & decenti animi præparationi maximè conuenit vt miſericordia diuina comite fœlicius ad altiora & grandiora capeſcenda myſteria prouehatur, renouato etenim vtriuſque fœdere Eccleſiæ, & adepta indulgentiæ clementia, ſupereſt Chriſtum propitium ſibi demereri quem nos altis vocibus aduocamus, exemplo Danielis freti cuius oratio ad alta excelſáque euecta numina in populi ſibi commiſsi gratiam, peccata vtriuſque cōfitebatur ſic exclamatur *Non in iuſtificationibus noſtris proſternimus preces noſtras ante faciem tuam, ſed in miſerationibus tuis multis.* Huius miſericordiæ ſitibundus Pſaltes regius faucibus deductis dicebat, *Secundùm multitudinem miſericordiæ tuæ ſaluos nos fac domine.* Et Paulus ad Titum 2. *Non enim ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos ſed ſecundùm miſericordiam ſaluos nos fecit.* Pari efflagitandæ miſericordiæ zelo feſtinans Chananæa diuino pneumate erudita hanc orationem habuit apud Chriſtum multiseloquentiæ floribus ſub ſua breuitate redimitam. *Miſerere mei Domine filij David.* Anguſtiis vndique mortis & ſupplicij circundatus alter latronum qui Meſsiam crucifixum intuebatur ſummum opus conſummantem, non fruſtra altiloquo gutture vltimum ſuum Kyrie eleiſon cecinit dicens, *Domine memento mei cum veneris in regnum tuum.* Quod verò nouies recantetur apud nos, id non caret myſterio, vbi mortem gerimus duobus cæcis ſedentibus ſecus viam & dicentibus Κύριε ἐλέησον ἡμᾶς υἱὲ Δαυίδ.

Kyrie eleiſon.

Dan. 9. cap.

Pſal. 106

Luc. 23.

Math. 20.

Domine

Domine misere nostri:& cum à turba increparentur vt tacerent altiùs in hanc supplicem vocem erumpebant. Ἐλέησον ἡμᾶς κύριε υἱὲ Δαυίδ. Miserere nostri domine fili Dauid. Hęc oratio feruentiùs repetita, Christum commouit ad hoc misericordiæ donum quo tetigit oculos eorum, & confestim viderunt,& sequuti sunt eum. Denique antequam insidiantibus raperetur ad crucem inimicis Christus, cum oraret in monte oliuarum, ter orationem suam Deo patri oblatam reiterabat, dicens, *Pater si fieri potest transeat à me Calix iste.* Matth.26. Diuus Paulus cum grauissimis angeretur & cruciaretur indomitæ carnis stimulis, ter dominum rogauit, vt discederet ab eo angelus Sathanæ qui eum colaphisabat.

Reliqua prætereo quæ ad latentem numerorum rationem adducere possemus, ne minus protestationi nostræ respondeant quæ scribimus. Sed non oportet nos in portu vt aiunt impingere, aut per incerta verborum Dædala vagari, Audio enim quosdam suggillare & has voces plebi incognitas miris sannis vt omnia irridere dum quiritantur quę Barbaries nos incantauerit quod vocibus vtamur antiquis obsoletis & ab Idiotarum capacitate & intellectu alienis, cúrve spreta vernaculi sermonis necessitate, hoc Missæ sacrificium, idiomate Latino, Græco & Hebræo conflētur & celebretur. Porrò quibus pietas cordi est, intelligent qua potissimum de causa institutio Christiana plebeios sermones, & linguæ vernaculæ idiomata noluerit Missæ sacrificio immisceri. Inter autem præcipua capita quæ ad disponendum verum cultum huius sacrificij requiruntur, Loquutionis ratio minimè aspernanda est, si enim cogeremur linguæ Idiomismum Christi, in omnibus doctrinæ Christianæ ritibus amplecti, semper Syriaci & Hebraici sermonis copia nobis superabundare deberet, qua potissimum vsus est pridiè quam pateretur tum discipulos docendo, tum sacrum hoc Eucharistiæ mysterium instituendo. Verùm prudens mater Ecclesia vt posteritati omnem difficultatis nodum eximeret, sanctè piéque voluit sacrificium istud communioris, vtilioris, & generalioris linguæ vsum, peculiariter sibi reseruare, fusis & repulsis cæterarum confusionibus. Vnde proditum est quod in Occi-

Cur lingua Latina celebratur Missæ Sacrificiũ in Ecclesia Romana. Vide ea quæ in prima Classe Onomiæ data sunt. fol.91.

In Ecclesia Latina sacra mysteria non peraguntur vernacula lingua.

duis plagis linguæ Latinè authoritas sacris ministeriis veluti omnium famigeratissima,& amplissimę propaginis famularetur. Cuius celsitudo non solum in legibus condendis fulgebat, verumetiam in omnibus quæ generalem orbis notitiam ambiebant, adeò vt verisimile sit primos omnes Euangelij & fidei precones per latissima Europę climata huius linguæ auxilio tanquã vsitatioris & celebrioris apud omnes sermonis frequentia, Christianę philosophiæ tradidisse rationem,quemadmodum & in reliquis duabus orbis partibus Hebraicæ & Grecę linguę mendicabantur suffragia Quarum linguarum certo veluti quodam triuio per orbem terrarum proficiscebatur Euangelij maiestas & splendor. Adde quod nunquã tria hęc insigniora Idiomata memorię & æternitati cõsecrata in eximio illo salutiferę arboris titulo mutationi subdita fuere,adeò vt nõ sequantur corruptissimas cęterorum vicissitudines, quę ab antiqua scaturigine defecerunt, & vel in comptiorem elegantiam vergerunt,vel in rudiorem barbariem trãslata sunt. Quod si huiuscemodi selectioribus quantumuis linguis vsum recepisset sacrificandi Ecclesia,confusa hæc varietas risum potius quàm deuotionem exteris & peregrinis dedisset. Quot enim sunt in vna sola Gallia sermonum alterationes? quot sunt quę inuicem nequeant intelligi?idem proponitur de Hispanię, Italię & vtriusque Germaniæ, cum Anglię regionibus. Est enim vnicuique innatus particularis idiomatis natiui decor, ad quem proferendum, pronunciatio non omnibus fauet. Singulæ pariter nationes in varias vitiorum species interloquendum distractæ sunt, quo minus ab aliis qui vernaculi rationem non habent intelligantur. Quidam ψελλισμὸν affectant vt blesa lingua blandiores videantur,alij τραυλισμὸν βατ]αρισμὸν, aut fortassis βατ]ολογίαν ambiunt, mul ti labdismo abundant. In non paucis κοιλοστομίαν damnamus quum vel deductis faucibus & velut è caui specus latebris æquè recessu oris resonat. Quidam stridulos habẽt pronunciationis hiatus, sunt qui dictionum feces manducant, quidam capita contundunt, multi postremas omnes syllabas acuunt. Ast sermo sacer omnibus eum adipisci cupientibus sese purus, tersus, ornatus

Euangelium quibus linguis propagatum sit.

Vitia idiomatum.

natus,& comptus oſtendit,adeò vt inter ſacra myſteria nec Illyricis,nec Britannis,nec Sueuis,nec Allobrogis faſtidiũ pariat, quòd longè ſecus eſſet, ſi confuſa idiomatumſcabritie inſtrueretur Eccleſiæ ſacrificium. Quis enim varios luſtrans noſtræ Europę ſinus non miraretur quoſdam naturali linguæ iure,vel cornicari,vel crocitare,vel frendere, vel garrire,prout cuiuſlibet linguæ prolatio expedit. Probè ergò conſultum eſt nobis, vt haberemus ſacri & Euangelici myſterij monumenta ab hac vulgi ineptia tuta, Nouimus enim ea eò digniora & clariora eſſe, quo prophanorum intellectui non vileſcunt, trita autem & contempta ſi promiſcuè omnium lingua legerentur, Adde quod multò facilius, eſt vnius capere idioma Latinorum quam variarum gentium ſinuoſuos ſermones. Hæc autem acuta quantumuis, & probabilia, effugere non poſſunt ſchiſmaticorum obiectiones, quibus in nos digladiari ſolent, dicúntque, quid cõmodi,aut ſi ugis nobis remaneat,ex Miſſæ ſacrificio cuius, nec verba, nec geſta comperta, habemus cum Paulus id tam ſeriò iubeat, velitque omnia lingua materna explicita proferri? Sed ſi pręcipit Apoſtolus vt iſti frigidè argutantur, in Eccleſia ad populum lingua vulgari & nõ ignota vti,fruſtra proponitur interpretis myſteriorum diuinorum officium. Quid igitur pręcipit idem Apoſtolus,vt ſiue lingua quis loquatur, ſecundum duos, aut vt multum tres,& per partes vnus interpretetur: Quid inquam opus eſt interpretatione,ſi in Eccleſia lingua vulgari & non ignota vtendum eſt? Ergo ſecundum mentem aduerſariorum non debuit dicere,Paulus *Volo autem omnes vos loqui linguis,magis autem prophetare*,ſed ſic potius,*Volo omnes vos in Eccleſia vti lingua omnibus nota, vt non ſit opus prophetare id eſt interpretari.* Denique non debuit Deus ponere in Eccleſia genera linguarum & interpretationes ſermonum,ſi non eſt in Eccleſia vtendum lingua ignota. Vt igitur ſunt in Eccleſiis catholicis per vniuerſum mundum ſucceſſores Apoſtolorum quos Deus poſuit in Eccleſia,& prophetarum ac doctorum & aliorum graduum, ſic etiam ſunt ſucceſſores loquentium linguis & interpretantium ſermones.Pronunciare enim in Eccleſia,ſicut ſancti Apo-

Si ſolum lingua vulgari ad populum vtẽdum fruſtra ſunt interpretes in Eccleſia.

1.Corint.14.

ſtoli à domino inſtituti,ab initio tradiderunt,per cunctum Occidentem vti diximus, Latina lingua quam populus ignorat,ſicut per cunctum Orientem lingua Græca quàm vulgus item non intelligit,Lectiones Euangeliorum,epiſtolarum, Prophetias & Pſalmos quæ iis tantum licent quibus ex chariſmate ordinationis conuenit,loqui lingua eſt.Locum verò interpretis ſermonum ſupplent, qui verbum Dei in Eccleſia prædicant, qui ex pronunciatis lingua populo ignota, ſumunt ad interpretandum & prophetandum,vt populus qui lingua loquentem audiuit ædificetur,& qui lingua loquitur non ſit ſine fructu ſicut Apoſtolus ait.Sed vt ad fortiora obiectionis propugnacula aſpiremus,nemo neſcit Miſſam (quo ad ſui eſſentiam) eſſe ſacrificium & ſacramentum.Sacrificium autem pręſentibus & abſentibus profuiſſe,conſtat ex ipſa veteris Inſtrumẽti hiſtoria, Filiorum enim Iſrael ſacrificiis participes erant etiam ij qui non aderant. Hiis autem qui exceperunt ſalutis & redemptionis fructum per ſacrificium corporis Chriſti,in cruce,huius intellectum non habuerunt qua in ordine locantur ſurdi, innocentes, paruuli baptizati, & ante vſum rationis è vita ſublati. Hinc factum eſt,vt in huius ſacrificij inſtitutione Chriſtus dixerit illud profuturum pro remiſsione peccatorum multis qui nondum nati erant, vnde colligitur nil referre exterarum linguarum emendicata vocabula expiſcari, cũ non conſtet valore verborum ſed ſolius hoſtię Chriſti agni immaculati,hæc ſacra perfici,Nec abs re videmus ſancta myſteria palã & in conſpectu omnium fieri, vt ſaltem oculi teſtentur quod aures fide duntaxat intelligunt. Quantũ autem ad ſacramenti rationé attinet falluntur omnes quotquot ſunt,qui linguarũ conſiderationem mirãtur.Nam ſi verborum ſacrorũ intellectus præcedere debuiſſet ad conſequẽdum expectatum meritum ſacra communio quæ pueris antiquitus dabatur in primitiua Eccleſia deluſum & inutile fuiſſet figmentum,quod tamé longè ſecus agebatur. Defectu ætatis maturę,& minus doctrinę & Chriſtianę religionis in perſcrutandis abditis capaces pueri,qui agni paſchalis epulis veſcebãtur in priuatis familiis,quomodo latentes tanti myſterij

Matth.26.

ſterij figuras perſcrutari imò percipere poterant? Aetas & iudicij imbecillitas hęc denegabat, ſed paulatim & gliſcẽtibus annis maiorũ prudẽtia ſcitè docti euadebãt. Attamẽ lõgius à vero Hæretici diſcedentes, volũt Euchariſtiã vel eodẽ titulo aut nõ minore cũ Baptiſmate inſigniri quod tamen & cuiuſuis idiomatis vſum nõ callentibus cõceditur, quia illius actualis receptio, non verborũ obſcurior intellectus baptizato prodeſt. Cum ergo interſtrepẽt, & omnes vno veluti ore clamitent, nos fide tenus, incorporari Chriſto comedentes panes, cui vſui conferre videbuntur verba, ſi myſterium in recipientis & credentis apprehenſioni reconditum ſit non intelligentis? Hinc liquet, quomodo iſti ſortilegi ſuo gladio mactentur, quámque propenſi ſint in variarum opinionum diſcrimina, ita vt eorum ſentẽtiæ inuicem confundantur. Tandem magna inopia conſilij afflictis, non deeſt ſagaciſsimus iniquitatum artifex diabolus, qui eos ſubdolę perſuaſionis primis parentibus inſufflatæ memores faciẽs, ad pudẽda mendacia & phanatica ſomnia ſtruenda adhortatur. Is enim ita vt Euam ſeducturus credulum animum, curioſo futurę ſcientiæ apparatu faſcinare ſtudebat, captis námq; oculis in ſummo mentis ſatellitio poſitis, tum arboris vetiti pulchritudine allectam, tum fructus deſiderio, atque ſuauiſsimi odore commodi ad diuinitatem comparãdam victam mulierem perſuaſit, dictóq; citius morẽ ſerpenti gerẽs Eua ignorãtiæ verbis & infinitis miſeriis ſtipata fuit, ſic & Hęretici quo ſecum cymmeriis tenebris inuoluant rudem plebeculam eam hac diabolica verſutia adoriuntur. Quare prohibuerunt vobis epiſcopi ſcripturę ſacrę & myſteriorum veſtrorum vulgarem interpretationem? an non putatis dolo malo & callida impietate id factitatum eſſe: Illi enim ſcientes quod in quocunque die expectatiſsimo hoc ſcripturarum fructu priuatim gaudebitis, aperientur oculi veſtri, ſanctarum eritis interpretes doctrinarum, apud vos tanquam ad oracula ſoluentur fidei ſcrupuli, maximi eritis Thæologi, ſcientes bonum & malum, veſtrę ſalutis inuidi, noluerunt vos hac priuilegij gratia frui. Plebs itaque miſella nouitatis auida, leuis, imbecillis, & credula peſtilen-

Eadem impoſtura qua Diabolus vſus eſt in fallendis primis parentibus, hæretici vtũtur vt rudes & curioſos ſuis incãtamentis decipiant.

tem Miniſtrorum perſuaſionem amplectens, vidénſque id eſſe pulchrum oculis, aſpectúque delectabile, ſacrę ſcripturę helluonũ more, deuorauit cibos hæretico fuco conditos, quos ob ſtomachi debilitatem & cruditatem concoquere nequiuit, ideóque in perniciem corporis euaſerunt, Hinc ortę ſunt lippitudines, furores, Manię, & frenetici impetus in cognoſcenda veritate. Ne autem canere receptui omninò cogantur Archirabini iſti hæreticę paleſtrę, ad mutilatum & laceratum neſcio quod Apoſtoli dictum confugiunt, & hic impudentes ratiunculas ſternunt, & iureiurando etiam volunt, fidem ſententię nõ refragari, inuito ipſo Paulo qui ſic ſcribit, 1. Corinth. 14 *Is qui ſupplet locum idiotæ quomodo dicet Amen ſuper tuam benedictionem? Quoniam quid dicas neſcit.* Vnde colligunt, quod cũ populus accinere debeat Amẽ & in noſtris liturgiis & orationibus id præſtare non poſsit, quid rerum geratur nõ intelligens, quapropter ſacra omnia vernacula lingua tradenda eſſe. Periclitaretur multum noua Caluini hæreſis, ſi idiotę lingua Latina eruditi, paſsim viderent quam fœdè & turpiter dilaniatus ſit ſua interpretatione vtriuſque teſtamenti harmonia & catholicus Eccleſiæ conſenſus, Intelligerent inquam, quomodo vbique ceſpitet & per vanos gryphos & meandros à vera & natiua vocum dignitate deuiet. Inter autem plurima loca quæ ſacrilegus iſte proditor audet amfractuoſa ſignificatione torquere, & ſuo ſenſu interpretari, præſens non minoris eſt notę, ſed eo ipſo apertiſsimi mendacij conuincetur, non enim ſcribit Apoſtolus vt falſo interpretatus eſt ille qui eſt ex idiotis, ſed qui ſupplet locum idiotę, Græca enim lectio hoc teſtatur ὁ ἀναπληρῶν τὸν τόπον τοῦ ἰδιώτου πῶς ἐρεῖ τὸ Ἀμὴν ἐπὶ τῇ σῇ εὐχαριστίᾳ. Magnum eſt attamen diſcrimen, inter ſupplentes locum, vicémque idiotę & ipſum idiotam, quales ſunt qui ex cleri choro, nomine totius populi ſacrificio reſpondent, arcentur, ſiquidem plebeij, & mulieres potiſsimum ab omni loquacitate, multò magis à concentu & modulatione. αἱ γυναῖκες ἐν ταῖς ἐκκλησίαις (inquit Apoſtolus) σιγάτωσαν, ſileant inquam, mulieres in Eccleſiis, οὐ γὰρ ἐπιτέτραπται αὐταῖς λαλεῖν nec enim permittitur eis loqui αἰσχρὸν ἐστὶ γυναιξὶν ἐν ἐκκλησίᾳ λαλεῖν. Turpe

eſt

est mulieri in Ecclesia loqui. Et idem Salomon, ne sexus ille plus ęquo loquax ac verbosus sacris, immisceretur hymnis, ex Leuitarum sobole, multos instituit cantores, ad diuina decantanda mysteria in templo quod edificauerat. Nihilominus tamen recentiores aduersarij, suis meretriculis magnum eorum in Synagoga priuilegiū concedunt, vt impudenter asserant, nihil sacrū eos latere debere, nullum sacerdotium superesse, quod non etiam ad mulieres porrigatur, eas denique publicis suis cœtibus, quas ecclesias putant, non tantum interesse, de sacris disserere sed & cantitare numeros quosdam indignè compactos iubent, licet Apostolus, & illas tacere, magna cautione clamet. *1. Cor. 14.* Quod si lingua vulgari & vernacula, sacrificiū Missæ apud *1. Ad Tim. 2. & 5. cap.* nos legeretur, nescio an satis firmè obturari possent mulierum ora, quin non aliquando volubili linguæ plectro. aliquid stridere aut cornicari inter sacra mysteria auderent, Sed nobis melius prouisum est. Procul hinc estote prophani. Religiosus sermo & diuinitate plenus, inter aniles plebis fabulas euulgabitur? Christus monuit non dare *Matth. 5.* sanctum canibus, neque mittere margaritas ante porcos. Quod si linguæ ratio, à primis fidei nostræ fundatoribus immutaretur, periculum esset ne ordo congruè in Ecclesiis nostris semper seruatus confunderetur, néve pueri aut rudiores homines, verba sacra, ad iocos, & res prophanas, atque ludicras accommodarent, sicut aliquoties pueros, Missę celebrandæ rationem puerilibus suis rationibus expresfisse, & verba consecrationis recitasse, non sine graui diuini numinis offensione, à quo ignis de cœlo dimissus oblata incendio deuorasse pueròsque prostrauisse, & aliquando etiā flammis exustos cōcremasse, viri doctrina & moribus percelebres nostri sæculi memoriæ prodiderunt.

Aliud incommodum ex hac patria lingua exercitatione & differentia suboritur, quia sacerdotibus, aut Ecclesiarum ministris, qui ex aliena & peregrina natione ad nos *Historia vera.* ventitarent, non esset integrum, propter linguæ ignorationem, neque sacrum Missæ officium celebrare, neque promiscuè cum cæteris laudes Deo decantare, Nec calumnias infidelium euitaremus, iustas quidem si nos viderent

admirabilia,

admirabilia, obſcura, implicatáque diuerſis linguis ſonantes nóſque inſanire exiſtimarent.

Ad hoc iam tandem, ſuadente pietate impellimur contundendum opinionis multiplicis caput, de precibus vulgari idiomate recitandis, vt in eorum Synagogis tãto religionis figmento garriunt. Et vt à dignioribus rationibus auſpicemur per explicatiorem ſimilitudinem, Parum intereſt ægroto qua ſermonis elegantia preſcripta ſit doſis, quáve lingua decretum ſit pharmacum dummodo reualeſcat & priſtinę ſaluti reſtituatur. Nec angitur cliens, qua orationis ſtructura & apparatu, cauſidicus ſuum ius tueatur aut defendat, dummodò iudicis animum ad æquiſsimæ ſententię iudicium deflectat. Ne ergò acrius ſtringere calamum cogar, velim nouatores meliore mente duci, noſtráſque rationes puerili etiam ingenio faciles diligentius conſiderare. Non putent me politiore orationis apparatus hic rethoricari, cum nulla ſermonis vbertas malum illorum genium à melancholica pertinacia reuocare poſsit, nam vix affectata lingua aſſequetur quod veritate vinci non poteſt. Quod ſi nemini vero Catholico iniurius ſum, parum illis placere curo in quos quicquid diuino numine in calami cuſpidem venerit chartis inducere ſoleo, vt errorum fucos intelligant, vel ſeductionis & impoſturę laqueos derelinquãt. Eant ergo quicunque illi ſint, qui tam impudenter nugantur non licere preces ad Deum fundere alieno idiomate, non intellecto ab eo qui precatur & orat. Vna propoſitio latrantium ori proiicienda eſt qua penitus obmuteſcent. Qui priuatim orat ſupplicíſque cordis affectu mentem ad ſydera tollit vti poteſt quacunque idiomatis conſuetudine ſiue à ſe intellecta ſiue non intellecta. Sententiæ veritas munitiſsimis rationum propugnaculis cingitur, quod nimirum Deum & ſanctos nulla linguarum idiomata lateant, ſed omnes æquis auribus preces varios ritus & ſermones quibuſcunque verborum differentiis compoſitos intelligunt. Verum vt hoc firmius iſtis ceruicibus infigatur, aperta ſimilitudo nobis opitulabitur. Quemadmodum illius qui principi cũ piã libellum ſupplicem offert, hæc res animum maximè ſollicitat, vt is tali

Valor orationis non pendet ab intelligentia, ſed à fide, & mente orantis.

tali lingua à perito aliquo & fideli viro ſumma cum animi dexteritate conſcribatur, quàm princeps ſine interprete intelligat, tametſi illam ipſe prorſus ignoret. Ita qui Latinè preces ſuas inſtruit, vt ſummo affectu dirigantur ante tribunal ſummi cordium ſcrutatoris, implorátque cœleſtium numinum fauorem & patrociniũ quo faciliùs quod legitimè oratione ambit, effectu conſequatur, haud multum ſibi intereſſe arbitratur, an idiomatis calleat vſum quo recitanda eſt oratio. Non enim ſibi ipſi orando loquitur, ſed alteri, verùm magnum in eo ponit momentum, vt illis verbis precetur quæ & hic petant quod ipſe ſibi donari poſtulat & acceptiſsima ſint Deo, ſanctíſque quos precatur. Quia igitur orationes quæ diuinis literis continentur, à ſpiritu ſancto dictatæ fuerunt, cuius munus eſt *poſtulare pro ſanctis*, cum nos quid oremus ſicut oportet neſciamus, & Rom.8. verſio Latina per vniuerſum orbem recepta & vſitata, verba habeat Eccleſiæ quæ eſt ſponſa Chriſti, non ineptè orat, qui orationem è ſpiritu ſancto expreſſam, ad aliquid poſtulandum accommodat, verbiſque Eccleſię vtitur licet à ſe non intellectis. Huius rei teſtantur probabilitatem, benedictiones Balaam, quarum nec benedicens nec benedicti ſignificationem percipiebant. Pueri Hebræorum pariter præclaram illam congratulationem Chriſto Solymæ Num.23. encenia ingredienti cantabant & vocem illam ouationis ac Matth.21. triumphi minimè intelligebant, adeò vt inuidentes Pharisæi, variè ſtomacharentur, quòd prima hæc ætas, rudis Mar.11. Luc.19 & rerum expers, ſummis doctoribus intelligenda verba in aduentus Chriſti gratiam caneret. Hunc attamen locum Phariſiaca inuidia Caluiniſtæ traducunt in controuerſiam, nam vbi Chriſtus dixit, Ex ore infantium & lactãtium perfeciſti laudem, nomine infantium literædos, idiotas & ſpirituales filios intelligens, contrarium interpretari auſus eſt Caluinus, dicitque inſolentis eſſe temeritatis vſurpare nomen Domini in precibus lingua incognita recitatis. Quæ vox, cum blaſphemia, manifeſtam habet vanitatẽ, quamobrem pudet pigétque illi reſpondere, nam ſuperuacaneum eſt in hac iterum refellenda tempore abuti, ſed cupio vt paululum expergiſcantur qui hac delaſſati, obtenebrati

ſunt in hæreſi. Dicamus ergo cum omni rationis pondere quòd qui lingua Latina precatur non caret fructu orationis, tametſi quæ loquatur non intelligat. Ait orationis huiuſmodi fructus quod ad præſens inſtitutum attinet, eſt triplex, illúdque pij exercitij munus vario & incognito idiomate deductum nõ minuitur quin cœli penetralia pulſet, ſit ergo primus fructus audiri à Deo & impetrare, quod etiam illi conſequuntur qui verba ſua nõ intelligunt, quia illa intelligit Deus, quem oramus & cuius eſt poſtulata donare. Secundus, eſt animi quædam ſuauitas ex ſenſu verborum quæ hominem recreat, verborum intelligentiam ſecum animo perpendẽtem. Tertius eſt coniunctio mentis cum Deo, quæ iam non de ſenſu verborum cogitat, ſed de Deo ipſo quem rogat, cuius meditatione admirabili conſolatione afficitur, cámque conſolationem iuuant ipſa verba ſacra, quæ inter orandum ore recitantur etiam accuratè non intellecta, quemadmodum loci ſanctitas etiam cogitata excitat & inflammat deuotionem orantis. Atque hunc tertium fructum non minùs ille percipit, qui non intellecta à ſe lingua precatur, quàm qui verborum intelligentiam aſſequitur. Secundum verò ille tantum qui orationis verba intelligit. Sed hic fructus eſt imperfectior tertio, cuius comparatione videtur humi reptare, cum hic in Deo, ille in verbis hæreat.

Orationis triplex fructus.

Quod autem reliquum eſt ne aliquid intactum prætereamus, & vt vltimum languentibus noſtris hæreticis cauterium addamus, ſcripturarum interpretationem vulgarem quantumuis & prophanam à ſenſu idiotarũ & plebeculæ omnino alienam eſſe diximus, & verè opinamur, quòd licet interpretentur ſcripta omnia vernacula lingua minimè poſsint adyta ſacra perſcrutari, quibus vltra communem ſignificationem ingentia ſecreta latent ab ipſa ſimplici nominis indagatione abſtruſa & remotiſsima, quę in cuiuſlibet idiomatis expoſitione doctorum tantummodo lucubrationes & frontem deſiderant. Multa ſunt in Pſalmis Dauidicis (quibus maiori ex parte conſtant preces Eccleſiaſticæ) intellectu difficillima, tametſi tranſlata ſint in vernaculum ſermonem vt ab idiotis intelligi non

Multa ſunt in ſcriptura intellectu difficillima quamuis vulgari lingua proferantur.

possint, cùm nec ipsi sacerdotes & Theologi nisi magno studio commentariorúmque numerosissima suppellectile, & veterum scriptorum lumine & subsidio ea intelligant. Sic & plurima in lectione Euangelica quæ vernaculo donata minimè capiuntur ab indoctis. Verbi gratia Christus dixit discipulis, Ecce ascendimus Ierosolymam & filius hominis tradetur principibus sacerdotum & scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum gentibus ad illudendum & flagellandum & crucifigendum & tertia die resurget. Horum verborum significationem non ignorabant Apostoli, id autem eorum animis reconditum & durum fuisse scribit Euangelista. Capernaitę voces omnes ad vnguem tenebant quibus Christus corporis sui mysterium docebat, sciebant enim quid sibi vellet manducare suam carnem & bibere suum sanguinem, tantum abest autem quod conceptum Christi intellexerint, qui huius sermonis duritiem ferre non potuerunt. Laudemus ergò Matris nostræ ecclesiæ prudentiam quæ vniuerso occidenti linguam Latinã sicut Græcis Græcam, Hebræis Hebræam non vulgaria populorum idiomata ad sacrorum librorum compositionem & diuina sacrificia perficienda optimis & legitimis causis præscripsit. Sed redeamus ad Missæ sacrosanctæ celebrationem vnde nos hæretica obiectio profusiore digressione distraxerat.

Matth. 20.

Io. 6.

Postquam ergo implorata est diuinæ misericordiæ gratia, sacerdos spe certa eam promerendi confisus, ad hymnos & gratiarum laudes paratur, subliméq; illud & Angelicum canticum intonat GLORIA IN EXCELSIS DEO. Cuius mellifluus & dulcisonus lepos variis veluti floribus in sacrę scripturę aprico concinatus est, sacrique nostri sacrificij precibus adhibetur in Christi exemplar, qui augustissimorum mysteriorum traditurus excellentiam innumeras laudes & gratiarum actiones ad patrem emisit in illa sacra concione quam apud discipulos habuit de qua infra tractabimus. Hæc est apicularum sedulitas, & Christianę charitatis sinceritas quæ ex salubribus flosculis salutiferum exugit succum, quem postea in insigne grati & memoris beneficiorum animi offert. Antiqui

Gloria in excelsis Deo.

tiqui patres, inter ſacrificia varia muſicorum inſtrumentorum genera, lyricos modulos adaptabant. Ad quid precor referre putas Tubalis ingenioſiſsimi Muſices concentus inuentum, Protoparentum & ipſius orbis prima ætate, niſi ad ſincerè & decenter ſacrificiorum cultum Deo perſoluendum, tum ad excitandas mentes in deuotione parum flagrantes? Cantus ideo Eccleſiaſticus, non ad populum intelligentia verborum inſtruendum, ſed ſuaui melodia maieſtatéque actionis ad Dei reuerentiam cultúmque excitandum eſt inſtitu tus, tum vt populus qui exterioribus ſenſibus magis quàm contemplatione, mouetur, viſa maieſtate ceremoniarum, veſtiúmque ſacrarum ſplendore, & audita cantus ſuauitate, Deum, cui tantum honoris exhiberi cernit, demiſſo animo veneraretur, cantúq; externo ad collaudandum & comprecandum excitaretur. Notum eſt enim quomodo Helizeus Propheta ad vaticinandum excitari voluerit à Pſalte, & illi qui cum Saul Prophetabat ante ſe habuerint pſalterium & Tympanum & Tibiam & Citharam. Hac eximia canticorũ conſuetudine oblectatus eſt Deus, eáque ad referendas ſibi gratias accommodandam, multæ ſacræ paginæ teſtantur hiſtoriæ, grauiſsimæque vltus eſt qui hanc religionem ſpernebat. Sacrum canere Epinicium oblitus Rex Hieroſolimorum Ezechias, pro reportata victoria ex Sennacherib exuuiis, graui morbo vſque ad animæ deliquium detinetur. Paulus veterum Philoſophorum cecitatem optimis rationibus perueſtigatus, nihil probabilius diſſerit, quàm quod ipſi *cum Deum cognouiſſent, non ſicut Deum glorificauerunt aut ei gratias egerunt*. Nos verò qui altiùs cœleſtem illam ſapientiam hauſimus, tam fœdo & ingrato ſilentio detineremur, vt Gliris ſomnolentiores, nunquam ad decantandum nomen altiſsimi conueniamus? Quæ lex quod ius noſtram ſegnitiem non accuſaret? Reclamarent noſtris votis omnes illi patres, qui in concinendis Dei laudibus dulce mori exiſtimabant. Quis autem ſtrictius nobiſmetipſis obligatur ad hoc ſanctum exercitium, qui tot cumulatiſsima gratiarum munera ſuſcepimus. Nos frigidiores cẽſeremur ipſis veteris teſtamenti mulieribus in flagranti laudam diuinarum meditatione

Gen. 4. — 4. Reg. 3. — 1. Reg. 10. — 2. Paral. 24.

meditatione æstuãtibus, sic Maria Mosis soror, sic Anna Sa Exod.15.
muelis mater, sic Delbora, sic Iudith, sic Esther, Dei laudi- 1.Reg.2.
bus cantu & voce extollendis diuino numine rapiebãtur. Iudicum 5.
Nec abs re in Ecclesiastica harmonia id perpetuo venerari Iudith.16.
voluit Apostolus dicens *verbum Christi habitet in vobis abun* Ester.14.
danter, in omni sapientia docentes & commonentes vosmetipsos in Col.3.
psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus, in gratia cantãtes cordibus
vestris Deo. Regiæ Psalmodiæ choragus Dauid ad hoc fer- Psal 97
uidè nos hortatur cũ inquit *Cantate domino canticum nouum*
quia mirabilia fecit. Memoriam fecit mirabilium suorum, escam
dedit timentibus se. Sic mutus Propheta in ortu nati sui, Chri Psal.110.
sti præcursoris, aperuit os suum, & cecinit. *Benedictus do-* Luc.1.
minus Deus Israel, &c. Sic virgo mater, angelico nuncio salu- Luc.1.
tata, & Christum concepta vna cum cognata sua Elyzabet
eximium edidit canticum, tam solenni & frequenti cultu
in ecclesia decantatum, Sic senex iustus & timoratus Sal-
uatorem in vlnis gestans tremula voce & ardenti affectu
cecinit. *Nunc dimittis seruum tuum Domine.* Sic & angeli in Luc 2.
eiusdem filij Dei natiuitate congaudentes augustum illud
Genethliacum resonarunt, qnod nunc à Sacerdote in gra- Luc.2.
tiarum actionem decantatur.

Nec est quòd Heretici aliquid οὐδὲν πρὸς ἔπος vt dicitur congerant, aut calumnientur cum nihil sit quod eorum mordaces aculeos reformidet in hac pia canticorum institutione. Laudes enim in ecclesia decantatæ, mentis veluti per Ectasim aciem ad superna eleuant, inflammant Dei charitatem, compungunt & contemptum excitant terrenarum rerum, & cum sacro cantu comitantur maioris sunt momenti ad compescendos affectus, adeò vt nec temerè opinarentur veteres Philosophi, Musices sonis etiam Barbarorum animorum vires ad virtutem accendi vel in mollitiem voluptatis resolui. Nihil autem prætermisit Ecclesia artificij in cantu. Nam quod natura docet, id Ecclesia sola præstitit vt voce, quàm à Deo articulatam accepimus, omnis generis laudes & gratias Deo referamus. Nulla carent nostræ harmoniæ concentus gratia, quæ in odis, hymnis, Epodis, antiquorum audiebantur. Nouatores attamen nobis ideo inuident, quod tam varia laudum modulatione

frustrētur in eorum Synagogis, vbi barbarum nescio quid atque effœminatum malunt cōgemisse & carmen elumbe mulierculis plerumque lasciuientibus acceptum obganire, quam venustum & solenne cantuum nostrorum decorem imitari.

Dominus vobiscum. Finita ergò angelica Epenesi Sacerdos conuersus ad populum illum omniiuga consolationis plena salutatione alloquitur dicens *Dominus vobiscum* ad quod amabile Eulogium respondetur *Et cum spiritu tuo.* Nectere conantur futilia commenta in contrarium & suos ronchos hic effutiunt aduersarij. Sed vtrunque vtraque veteris & noui testamenti pagina confirmatur, nec humanum redolet inuentum hoc salutationis genus, quod primum ab angelis edoctum est, ab antiquis patribus veneratum & illustre habitum semper fuisse commemoratur, nec inutile erit eius paulo altius cōminisci originis, quem insigni narratione ex lib. Ruth hauriemus, vbi scribitur quod Boos humanissimus & piissimus vir seruos conductitios comiter hac formula salutabat dicens eis *Dominus vobiscum*. Responderunt autem *Benedicat tibi dominus*. Angelus Gedeonem frumenta excutientem his verbis salutat, *Dominus tecum Virorum fortissime.* Raphael seniorem Tobiam hoc sermone cōuenit, *Gaudium sit tibi semper.* Et Gabriel Beatissimam Deiparam saluere iubens ait *Aue gratia plena dominus tecum.* Sic Saul ad Dauid Vade & dominus sit tecum. Paulus similibus verbis & Thessalonicenses & Timotheum salutat dicens, Dominus sit cum omnibus vobis, Dominus Iesus sit tecum. Hæc ergo legitima salutationis ratio nobis illuxit ab Apostolica traditione, vt sacerdos stans pro aris hac prece populum salutet, omnisque populus dicat *Et cum Spiritu tuo.* Solēnis profectò prædicta ratione precatio, cum aliquid boni alicui inauguratur conuenientissima, nullum enim maius beneficium illi accidere potest. *Si deus est nobiscum* (inquit Gedeon) *Quomodo poterunt nobis accidere mala.* Et Psaltes huic tanquam sacræ anchoræ innixus, clamabat, *Si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es domine*, Porrò sanctissima salutatio idcirco celebratur, sanctorumque descripta nomina mysticè

[Margin notes: Iud. 6. — Thob. 3. — Luc. 1. — 1. Reg. 17. — Iudicum 6. — Psal. 23.]

ſticè prædicantur, quòd fas non ſit eos ad vnum colligi, atque vnius illius pacifica coniunctione frui, ciúſque participes fieri, qui aduerſum ſeipſos diſsident atque diuiſi ſunt. Demum hóc dilucidum eſt ſpecimen amicæ & perpetuæ charitatis qua Deus tantopere nos inuicem complecti cupit, pulſis & excuſsis cordis omnibus inuidiis, & marceſcentis rancoris affectibus, meminimus quandoquidem ſacrificium publicum concordibus votis eſſe exequendum, paríque conſenſu atque feruore emitti debet orationis ſpiritus. At ſi hæc omnia velimus exigere ad Lydios illos lapides antiquitatem (inquam) ſcripturas & Apoſtolica iudicia nemo non laudabili huic cultui non adſentietur. Anabaptiſtarum autem intolerabilem & veſanum ritum damnabit, qui ſuperciliosa aut fanatica quadam opinione ſalutati reſalutare nolunt ingénſque piaculum exiſtimant quempiam humana ſalute adoriri, dicuntq; ex mala huius verbi diuini *Neminẽ per viam ſalutaueritis* interpretatione, nullos obuios ſalutatione impertiendos eſſe verum hac prohibitione volebat Chriſtus eos in vrbium tranſitu non immorari rebus mundi aut ambitionibus & fauoribus ſed pluris facere munus euangelizandi ſibi creditum, quàm vniuerſorum hominum amorem ac obſequia. Aut hic pro feſtinationis exaggeratione dictum eſt, ita currite, ſic agite quòd iniunxi vt ne minimum quidem vos retardent agentes ſed omnia contemnentes ad finem propoſitum feſtinate Eadem loquutione vſus eſt Heliſeus prohibens ſeruo ne obuios etiam ſalutantes reſalutaret, ſolum iubebat eum tanta diligentia accingi ad opus, támque promptè obedire, vt nullis vulgi fabulis in via occuparetur. Inſolentes etiam ambientes gloriolas & plauſibiles ſalutationes populi redamantes Phariſeos arguit Chriſtus, ſed officia illa charitatis & amicitiæ Chriſtianæ teſtimonia quibus inuicem honore præuenimus, ac bene precamur non prohibuit. Paulus & alij Apoſtoli initio ac fine ſuarum Epiſtolarũ vel Pacem, vel Gratiam cum amica ſalutatione commendant. Præcepti quippe fuiſſe memores videntur, *Cum intraueritis domos, dicite, Pax huic domui*, & ne adulatorium aut inane verborum lenocinium ac

Anabaptiſtarũ ſtolida ſuperſtitio.

Luc. 10.

ſtrepitum

ſtrepitum iudicaretur hæc ſalutatio, Chriſtus apertè ſubiicit efficaciſsimum fore his, qui digni eſſent, ſi ibi fuerit filius pacis requieſcet ſuper illum pax veſtra. Chriſtus humilitatis exemplar. Proditorem diſcipulum amicum vocat, eúmque de conciliis decretæ intentionis amice interrogat. Idem ſepiùs fecit erga diſcipulos vtiliſsima hac ſalutatione illos conſolatus. Pax vobis, & mulierculis non grauatus eſt dicere Auete. Hinc tam frequens legitur Græcum χαῖρε in ſacris Græcorum codicibus. Et vt colligimus ex Syro contextu angelici nuncij hac primum lætabunda voce gaudij authorem miſericordiæ pacis & benignitatis Dominum Deipare virgini nunciauit Gabriel cum dixit שלם לכי, qua Hebræi vti ſolebant in ſalutationibus ſuis, nec aliud ſonare ſcimus quàm noſtrum ſalue, & hac ſalutatoria particula quicquid fauſtum ac fœlix eſt imprecabantur.

Math 26. Marc. 14. Lucæ 22. Ioan. 18. Marci. 16. Ioan. 20. Luc. 24. Math. 8.

Epiſtola.

Oratur deinde, & piis ſacriſque in Reipublicę Chriſtianæ vſum collectis orationibus ſuccinitur, vt ita dicam Epiſtola, ex libris Canonicis excerpta, & plauſibili ſilētio, huius perſpicua lectio, diuini verbi maieſtatem, referens auſcultatur à fidelibus. Ea autem præcipuà ratione præcedit Euangelium, vt aperiatur cunctis, Prophetarum vaticinia, & diuini Ioannis Baptiſtę pręconium, doctrinam Euangelicam prænunciaſſe, vt probè Malachias oraculo ſuo docuerat. Mittam Angelum meum ante faciem meam qui præparabit viam. Et Zacharias *Præibis ante faciem domini parare vias eius. Ego vox (inquit ipſe) clamantis in deſerto parate viā domini.* Prętereà deſignauit dominus ſeptuaginta duos & miſit illos ante faciem ſuam. In cuius memoriā, hæc vetus religio obſeruata eſt in hoc ſacro Miſſæ ſacrificio, vt Lectio illa, nil aliud innueret, quàm Chriſti Meſsiæ per prophetas vaticinia, ſicq; videtur Diuus Ioannes Hyppodiaconi explere vices reſpectu Redemptoris. qui *Non venit miniſtrari ſed miniſtrare.* Ideoque perſpicacius nominis Etymologiąm perquirenti, conſtabit Epiſtolam, nihil ſignificare, præter mutuam illam certitudinem literarum qua quis commonet & hortatur quempiam, omnia enim quæ in Epiſtolis leguntur vel à Prophetis vel ab Apoſtolis ſalutis &

Cur Epiſtola legatur ante Euangelium.

Malach. 3. Luc. 1. Matth. 3. Marc. 1. Luc. 3. Eſa. 40. Luc. 10. Matth. 20.

tis & commodi nostri studiosis scripta sunt. Quicquid enim per Epistolas audimus, id nobis dilectissimis filiis à summo Patre demissum esse credimus vel Apostolorum vel Prophetarum legatione, quibus modo consolamur modo arguimur, & edocemur. *Omnis enim scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum, ad arguendum ad corripiendum ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo dei ad omne opus bonum instructus.* Huius sacræ scripturæ decus velut iubar fulgidum splendescere iubebat Apostolus Ecclesiis quarum Antistites discipulos suis votis sequaces habebat, idcircò Paulus ad Colossenses 4. Cùm inquit lecta fuerit apud vos Epistola, hæc facite vt & in Laodicensium Ecclesia legatur, & ea quę Laodicensium est, in vobis legatur. Scribitur etiam Actuum 13. Antiochiæ Pisidiæ lectam fuisse legem, & Prophetas omni Sabbatho legi solitos per omnes Synagogas sicut ait etiam diuus Iacobus, Act. c. 15. Cum verò hinc nihil oriatur offendiculi quo nobis aliquid reprehendendum obtrudant aduersarij aut plus satis curiosis argutationibus interdum vertant in dubium nos ad reliqua exaranda diuinis instructi præsidiis conuocamur. 2. Tim. 3.

Post Epistolam canitur vel graduale vel tractus vel Prosa iuxtà temporis congruentiam, aut aliquid aliud ex præciosis scripturæ scaræ thesauris excerptum, vt de his nemo nobiscum opinor contenderit, aliquando, vox illa summæ letitiæ Alleluya auditur, aperítque ingentes supernæ beatitudinis prouentus quos inter varios mundi impetus præstolamur, & post huius vitæ labores pro Christo exhantlatos, speramus nos cœlesti illa requie & perpetuorum gaudiorum vbertate potiri, *Vt qui ingressus est in requiem eius ita ipse requiescat ab operibus suis sicut & à suis* Deus. Et quemadmodum qui carceribus detinentur spe libertatis aliquando cantillant, sic nos anhelantes ad montem illum Oreb, ad quem restat adhuc longa via spe culmen & laborum fastigium vincendi succensi, nos hoc celebre, festiuum dulce & hymnisonum Halleluya concinimus, illud cum Angelis altius modulaturi inter choruscos beatorum choros & cœlestem fœlicitatem incomprehensibilē quam nec oculus vidit nec auris audiuit, nec in cor hominis

Alleluya. Heb. 4. 3. Reg. 9. 1. Cor. 2.

aſcendit,in qua quidē perpetuò auditur ſanctum hoc Alleluya,cuius meminit Tobias ſub finem c.pen. Beatus ero (ait, ſi fuerint reliquiæ ſeminis mei ad videndum claritatem Hieruſalem.Ex lapide candido & mundo omnes plateæ eius ſternentur, & per vicos eius Alleluya cantabitur.

Tobiæ 13.

Verbum hoc Allelu-iah, ſub ſua breuitate,magnum laudum & triumphi melos complectitur quod enim Hebræis הללו-יה dicitur Latinis , ſonat, Laudate dominum vnde toties Dauid hanc vocem ſuis numeris pręfixit,feſtiuam. הללו-את-יהוה מן-השמים הללוהו במרומים הללוהו כל-מלאכיו הללוהו כל-צבאו Hic vides toties repeti vocē illā immenſi gaudij quæ nos ad laudandum dominum inuitat,Laudate (inquit) dominum de cœlis laudate eum in excelſis,laudate eum omnes angeli eius laudate eum omnis exercitus eius. Sic Ioannes,qui ad ſumma ſydera euectus eſt in myſteriorum diuinorum viſionibus,toties ſe audiuiſſe narrat eximium Alleluya in cœlis ſolenne , ἤκουσα ὡς φωνὴν ὄχλου πολλοῦ μεγάλην ἐν τῷ οὐρανῷ λέγοντος, τὸ ἀλληλούια καὶ δεύτερον ἀλληλούια. Audiui quaſi vocem magnam turbæ multæ in cœlo dicentis Alleluya. Et iterum Alleluya. O inſigne priuilegium quo ditata eſt Eccleſia Chriſti, quæ Muſica fruitur angelica , Quod enim canunt Angeli in conſpectu Altiſsimi:nos hic altis vocibus inter ſacra Miſſarum ſolennia canimus , & eodem idiomate vtimur, ſed multò ſuauiore concentu & dulciore melodia beati illi ſpiritus eorum extollunt Alleluya,Cœleſtes illæ Philomelæ, cicadas iſtas longius puriſsimi cantus ſymphonia excellunt. Sed quemadmodum qui Muſices peritia non ſatis edocti, nec varios vocis reflexus tenent, peritiorum ſeſe iungunt ſodalitio , quorum præſidio vocaliſsimi videantur , ſic nos Angelis qui longæuo & ab origine mundi exercitato vſu diuinam aſſequuti ſunt Muſicam , iungi cupimus, eóſque obteſtamur vt eorum fauore& clariſſimo concentu,cantus noſtri,digni ſint cœleſtis aulæ triūphis. Hoc eſt celeberrimum tripudium, in quo ſaltat Dauid religionis enthuſiaſmo motus coram arca Dei: Fuerunt & Symphoniaci ſemper , & cantores in Eccleſia Dei. Sed in his choris nihil crebrius ipſo ſuauiloquo Alleluya auditur. Sic & in

Alleluiah eo iehouah mixhat ſchamaim halleluhu vamerornin , halleluhu Calmalakim alleluhu kaltzebau.

Pſal. 148.

Apoc. 19.

Simile.

2. Reg. 6.
Paral. 15.

Eccleſiaſtico

Ecclesiastico choro, Gloria Dei, fidelium vocibus extollitur, nullũ maioris laudis argumentũ sibi proponit, quàm Christum qui rex gloriæ dicitur, cuius quidem gloria super cœlos est, nomen eius quoque gloriosum & terribile. Deut. 28. versic. 58. Tanta verò est gloria Domini, tanta maiestas Dei, vt oculis humanis à diuo petro & sociis in monte Thabor sustineri non potuerit, nec ab Elia, cùm in spelunca transeuntem dominum considerare voluisset, & Moysi fuit facta facies cornuta ex consortio sermonis domini, vt non posset populus in eum intueri ob maiestatis Dei inherentis radios, & coactus fuerit velare faciẽ suam. Nulla sermonis copia sufficit ad proloquendum quę mens de ea concipit, neque mens ipsa quandiu hoc corpore tanquam vehiculo circunfertur, & fragili pallio amicta est, satis potens censetur ad radios diuinitatis gloriæ contemplandos, sed tota voluntatis ardore se vouet ad suas psallendas laudes & in hoc non minimam fœlicitatis partem refert, Hæc est vita æterna inquit Christus vt cognoscant te Deum verum & quem misisti Iesum Christum. Et Psal. 93. Beatus homo quem tu erudieris domine & de lege tua docueris eum. Gloria domini omne bonum est, cum enim dixisset Moyses Deo *Ostende mihi gloriam tuam.* Respondit dominus *Ego ostendam omne bonum tibi, & vocabor in nomine domini coram te.* Huius gloriæ immensam maiestatem videre æstuans Dauid canere solebat. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Heu mihi quia incolatus meus prologatus est, vnam petij à domino hanc requiram vt inhabitem in domo domini omnibus diebus vitæ meæ. Nos ergo pari amore flagrantes, mente diuino flamine afflata, & corde toto ad cœlestia aspirante, tam alacres & tam oportunè Dei pulsamus aures sæpius repetito hoc eximio modulo Alleluya, Alleluya, Alleluya, quo significatur quantopere cupiamus dissolui & esse cum Christo, vbi mens nostra tota vox, in conspectu altissimi, psallet diuinum carmen, Angelica harmonia edoctũ, vbi nec tussis, nec raucedo, nec gãnitus erit, & dulci temperie refrigerabimur ab æstu temporalium desideriorum, quæ militant aduersus spiritum. Interea nos solamur beatissima spe & expectatione fidei, spes autem non

Psal. 112. *Matth. 17.* *Marci. 9.* *Luc. 9.* *Pet. 1.* *3. Reg. 19.* *Exod. 34.* *Ioan 17.* *Exod. 33.* *Psal. 16.* *Psal. 119.* *Rom. 5.*

confundit quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per spiritum sanctum qui datus est nobis. Gaudemus itaq; & exultamus quoties in hac dulcissima laude domini scimus nos esse huic laudi conuocatos, & manu clementissimi patris ad hæreditatem beatæ vitæ explorari fingique in qua ænigmate deposito angelicum personabimus Alleluyah & quem laudum & gratiarum doctorem imitamur in his nostris veræ religionis & pietatis sacrificiis, Iesum Christum illum amplioribus glorificabimus laudibus in cœlis.

Euangelium. Iam sequitur Euangelium ad quod solenniter legendum non accedit sacerdos quin prius preculis quibusdam deuotissimis non præparetur, exẽplo Christi qui quamuis diuinitatis radiis Deus nimirum illustraretur, Patrem semper attestatus est antequam aliquid exordiretur, sic propitia redduntur numina, nec fieri potest absque arroganti temeritate sacræ scripturæ lectio insalutato cœlestis sapientiæ auxilio. Quinnimò exhorret Deus eos qui se ingerunt sacris euoluendis libris, aut verbi diuini tradendis mysteriis aliqua mentis turpitudine deuenustari, quosquidem
Psal. 49. sic apud Dauidem alloquitur. Quare tu enarras iustitias meas & assumis testamentum meum per os tuum: Iam quis alius potest facere mundum de immundo conceptum semine nisi Deus, Hinc Dauid idem quod sacerdos noster
Psal. 50. postulat. Domine labia mea aperies & os meum annuntiabit laudem tuam. Cor mundum crea in me Deus. Gratiæ itaque diuinæ precibus innixus proferre gestit Euangelium sacrificus, & id in memoriam Christi qui amplissima
Ioan. 13. 14. 15. 16. 17. concione Discipulos docuit Ioan. 13. & sequen. cap. in qua nihil quod ad eorum officium pertinebat, aut ad præceptorum obseruationem intactum reliquit, Sic & sacri Euangelij lectione eiusdem saluatoris nostri Eloquia aperiuntur, & vnde patefiunt, omnis theologia & diuina operatio miraculorum, apparitionis diuinitatis, sermonis Christi, operationes sacramentorum, & vt vno verbo dicam, omnia opera & verba diuina nostræ hierarchiæ à Deo donata summatim cõplexa est. Desumitur autem pro ordinis dierum & temporum ratione ex quatuor Euangelistis tot

enim

enim extitiſſe canonici Chriſti chronographiæ & Euangelij ſcriptores tradunt certò & credimus eorúmq; monumẽta ideo veneramur veluti quatuor principes ſpiritus & quatuor Paradiſi flumina, & Cherubim quadriformia, contra Marcioniſtas qui vnicum duntaxat Euangeliſtam dicebat eſſe contra Anabaptiſtas qui pro animi libidine varias Euangeliorum hiſtorias negant. His ergo tanquam totius Chriſtianæ doctrinæ riuulis hauritur Euangelium quod rectis non ſedentibus in Eccleſia fidelibus legitur & poſtea vbi Paſtorum cura & temporis commoditas apparet illud ad amuſsim & fideli expoſitione interpretatur per viros quibus docendi munus vel authoritate vel priuilegio collatum eſt. Hæretici qui omnia quæ ad Euangelium adciſcuntur ſiniſtrè & fraudulenter tuentur, neſcio quo inani garritu clamitant fruſtra hæc adhiberi Euchariſtiæ ſacramento, id eſt quod non opus ſit tam variis lectionibus, ſed potius docta aliqua concione ad inſtruendum populum in huius ſacramenti inſtitutione & ordinatione. Qua in parte ſacræ ſcripturæ hoc dogma explicati ſint ignoro, vt tam audacter dicere præſumant concionem talem eſſe de neceſsitate ſacramenti, vel quod ſemper repetendus ſit ſermo cœnæ domini quotieſcunque celebratur ſacra Synaxis. Chriſtus iuſsit hoc fieri in ſuam commemorationem non prædicari, Paulus ad Corinthios ſcribens, priores de Cœna domini enarrationes habitas commendat, ſed hinc minimè colligi poteſt quod in qualibet Cœnæ celebratione eiuſdem inſtitutionem edoctam ſatis, denuo mentibus inculcandam tradiderit. Apoſtolos autem id moris habuiſſe non conſtat ex ſacrę paginę hiſtoria quamuis quotidie in fractione panis communicarent. Quod ſi tantopere poſtularetur prædicationis neceſsitas, in hoc ſacramento, ab hac longius diuerſus fuiſſet. Chriſtus qui in homelia illa præclara quàm habuit ante ſacramenti inſtitutionem, nullam facit huius ſacramenti mentionem. Adeò vt cauendum ſit ne verba omnia quæ Chriſtus ſtatis diebus & variis temporibus loquutus eſt, iſti nouatores formalem cauſam huius ſacramenti conſtituant, quòd maximè peierare eſſet. Quia verbum prædicationis facerent

Concio de inſtitutione Euchariſtiæ non eſt forma huius miſterij nec neceſſaria ad confectionem ſacramenti.

1. Cor. 11.

operatorium. Imò si in sacramentorum administratione semper prædicationem necessariam cēserint, tanquam causam primam gratiæ in sacramento infusæ, falsò nomen Christiani profitentur, quod sola aqua tincti, absque prædicatione, aut partium & dignitatum sacramenti enumeratione adepti sunt. Sic & laici recitata cuiuslibet sacramēti institutione tanquam suscepto legationis charactere possent illa singulis & omnibus conferre, quod nemo Christianus asseuerare audebit. Hinc liquet quàm falsis volutentur opinionibus dogmatistę, qui pro rationibus nihil habent præter arrogantiam & rugosum supercilium cum mēdacio. Nos vero in hoc subsistimus, vt nihil penes gremium matris nostræ Ecclesiæ delitcat improbum, aut authoritatibus scripturæ, vel Apostolica traditione vniuocè non cohereat, quodquidem in superioribus omnium assensu patet. Imitamur enim Christū scripturas & prophetias interpretantem in Epistola, & eiusdē facta & vitæ tropha͡ea veneramur in Euangelio, quod toties & tam disertè Apostolis aperuit antequam superos repeteret axes, ad quos flagranti & indomito desiderio anhelamus vt nostrum Alleluya angelicos imitetur choros. Vides ergo quæ nos religio impellat ad hæc sacra mysteria, non impetu bruto, planéque stoico, sed rebus verè cognitis & fide instructi.

Mendacium hæreticorum ratio.

Euangelicæ lectioni continenter succedit Symbolum Apostolorum, veluti quędam καθολίκη ὁμολογία quod à sacerdote omnium nomine decātetur in quo absolutissima nostrę fidei capita eáq; præcipua enumerantur, vt ex congrua ipsius definitione amplectimur nihil est enim aliud quàm quoddam Enchiridium sin mauis compendium constans collatis capitibus & articulis nostræ fidei, in quibus inest peculiaris ad credendum difficultas, ac fidei exercitium. Quemadmodum enim in qualibet artis introductione optimi quique professores, solent præcipuas traditiones, in breuem quandam Epitomen redigere, quo liberius & faciliori methodo elementa disciplinæ quàm edocendam profitentur perdiscant auditores, sic Apostoli, fidei Christianæ summi scholarchæ in hac doctrina facilius iter facientibus

Credo in Deū.

Simile.

pientibus & insipientibus,rudibus,eruditis, viris mulieribúsque propositum præparantes hæc simplicia documenta facilè cuiuis obuia constituerunt, quæ nos acuratè percepta in sacris mysteriis vera esse protestamur,& in his totius nostri ædificij Christiani basis stabilitur,Et istud Symbolum non tantum hunc vsum habere credimus vt per eius recitationem quispiam euadat particeps sacramentorum Ecclesiæ, sed ad iustitiam, & cordis purificationem conferre plurimum, Christus namque exigit idem à suis Ioha.14.& 15.
discipulis, vúltque fidei confessionem fieri: & examen illud præuium tantopere necessarium non solum de conscientiæ nitore, sed de veræ fidei protestatione requiritur antequam sacra hæc augurentur, vt sciamus eò pertinere quod Paulus inquit Rom. 10. corde credi ad iustitiam ore autem confessionem fieri ad salutem. Et ideo lecta sacri Euangelij historia, Ingenuè & alta voce fidei nostræ magnitudinem & veritatem fatemur, cui animos nostros indiuulsos offerimus adeò vt nihil sit in insigni Ecclesiæ scripturarum thesauro,ad quòd alacriùs nos nostráq; deuoueamus, nec peritiores nos esse desideremus quàm in fidei professione ex Symbolo Apostolico edocta. Quis enim vnquam, quicquam tam excellenti ingenio conscripsit, quod vniuersus sic orbis amplecteretur, quòd tanta constantia retineret, vt ab eo tot virorum, puerorum, fœminarum, virginum millia, nec variis mortibus,nec morte formidabilioribus tormentis potuerint auelli,quorum animos fidei lux purificarat? Idque hoc etiam mirabilius est quod hæc Philosophia,repente, veluti sol oriens per vniuersum orbem illuxit ac vicit, nec virium, nec opum, nec eruditionis, nec humanæ calliditatis auxilio,nec vllis denique præsidiis huius mundi,quódque hactenus aduersus regiam potentiam, aduersus mundanam sapientiam, aduersus hæreticos mille modis ad impietatem instructos Breuiter aduersus omnes Diaboli machinas inconcussa stetit. Hoc est prætiosum margaritum quod omnibus diuenditis meritò debet comparari.Is est sermo, paucis verbis complectens summam eorum quæ omnibus necessariò credenda sunt ad salutem æternam. Hoc Symbolum olim

olim qui adulti baptizabantur, publicitus ore quiſque ſuo recitabant Cathecumeni, priuſquam aqua ſalutari tingerentur. Verum ne incerti variis diſtrahamur inuolucris Notandum eſt eſſe quatuor ſymbola præter illud quod vocamus Apoſtolicum, Athanaſianum, Nicænum, Epheſinum, Conſtantinopolitanum, quæ communi nomine dicuntur Patrum Symbola. Ex his Nicænum ſacra in Lyturgia canitur quodquidem à Symbolo Apoſtolorum ne latum vnguem diſcedit, & temporibus ampliſsimæ Chriſtiani nominis propagationes editum fuit, illúdque in Catholica Eccleſia mirum in modum ſuſpicit & extollit. Verumtamen Caluinus ſingularis ferus ad deuaſtandam vineam domini, & alter Iſmael cuius manus contra omnes, & omnium aduerſus ipſum, adeò pudoris & verecundiæ prætergreſſus leges, ab omni vrbanitate longè recedens inauditas ſed profligatas blaſphemias contra huius ſancti Concilij canones molitus eſt, nec alia profecto ratione pulſus quàm inuidia quod in ſuo ſymbolo ſancta Synodus credat vnam Sanctam, Catholicam, vel Apoſtolicam Eccleſiam, nam his verbis veluti fræno quodam cohibentur & compeſcantur omnium ſchiſmaticorum ora, quamuis non ſit nouus fidei articulus aut alius ab illo. Credo vnam ſanctam Catholicam Eccleſiam, quem qui credit non hoc ſolùm credit eſſe Eccleſiam, (quod credit Caluinus quoque & alij ſchiſmatici) ſed ſimul credit extrà illam ſicut olim extrà archam Noe, ſalutem non eſſe credit, credit vtique vera eſſe omnia quæ in ſcripturis omnibus canonicis ab ea receptis ſcripta continentur. Qui huic credit, credit in Spiritu Sancto congregatam Eccleſiá, per eundem conſeruari & gubernari, quo duce cùm regatur, credit ſimul eam errare non poſſe. Quamobrem ſanctiſsimã hanc parentem ſuam ea, qua decet pietate veneratur, illi ſe demittit, illi credit, illam audit, illam veneratur, & honorat: quæ de diuinis rebus ipſa ſentit, ſentienda, quæ de humanis præſcribit, facienda, quæ prohibet, fugienda eſſe ſine vlla dubitatione cenſet. Hæc cum difficiliùs hauſtu viderentur nauſca reprobationis faſtidiens cœpit mille iniurías euomere in hoc ſacrum Concilium, & mille colaphis voluit

Quatuor Patrũ Symbola.

Errorũ neſcia Eccleſia.

voluit huius articuli cogere sensum, sed frustra quoquidem nihil vel probabilius vel verius creditur. Subsannat pro ratione Caluinus & Patrum authoritatem debacchatur, & quicquid perfidiæ hausit ex veteribus hæresiarchis videtur in eos expuere, fortasis autem assensum non negaret Concilio si in Symbolo præterisset Apostolicam Ecclesiam, nam his verbis commendatur Apostolica successio in Romana Ecclesia, qua maximè vrgetur Caluinus, nec vult fieri docilis in re tam sanctè ab Apostolis edocta & tradita, ideo omnes synodi Anathematis metuendum fulmen immiserunt in eos qui non credunt vnam sanctam Ecclesiam ὡρισμένως non autem ἀορίστως, id est vnam finitè & non infinitè, quod est perfidiæ & blasphemiæ ingens collatio. Quomodo enim vnam credet, si nescit quam? An dicet vniuersam totius mūdi? erit ergo illi orthodoxa Ecclesia Armenorum, Ethiopum, Sergianorum, Indianorum, Monthelitarum, imò singulis opinionibus caput præficiet, & ex hac Hydra vnam constituet Ecclesiæ dignitatem? Quamobrem ne diutius à seipso deiscat, credere debet imò scire eum oportet, cum dicimus vnam Ecclesiam Catholicam, quę nam ex Ecclesiis efficiatur vna, siquidem omnis multitudo, vno aliquo eiusdem speciei efficitur vna, est igitur Catholica Ecclesia vna vnius Ecclesiæ Romanæ coniunctione quæ ipsa visibilis cum vno Pontifice visibili vnitur, ita fit vt omnes Catholicę Ecclesiæ cum Romana vniantur, & Romana cum Pontifice, ac proinde omnes cum Pontifice, ex quo simul fit, vt sicut Ecclesia Romana fundata est super successorem Petri Principis Apostolorum qui ei præest, sic reliquæ omnes Ecclesiæ, quæ cum Ecclesia Romana sunt in vnam magnam Ecclesiam Catholicam copulatæ, super Pontificem Romanum sint fundatę ab eo qui dixit beato Petro, Tu es Petrus & super hanc Petram ędificabo Ecclesiam meam. Quod verbum nec vult nec cupit intelligere ne ab errore suo retrahatur in qua veluti Sus in luto sibi placet, illúdque non intelligit quia non credit sicut Iudæis dixit Esaias imò dicam amplius, hæretici quotquot sunt non credunt vnam sanctam Ecclesiam Catholicam, quia illum negant qui est origo

Torquetur Caluinus quod ecclesia Catholica dicitur Apostolica.

Quod dissipatum est caret perfectione, sed quod vnum & maximè Catholicum est id absolutum & perfectum. ideo Ecclesia dicitur Vna.

Matth. 7.

Esaiæ 7.

 vnitatis

vnitatis & coniunctionis Ecclesiarum in vnam Catholicam Ecclesiam quemadmodũ si non negarent, nunquam fidem amisissent, nec vagi absque duce huc & illuc errarent. Sed huius rei maiestas propius salutata nos abire non patitur, ex hac ergò voce Christi ad Petrũ semina successionis Apostolicę elucescunt. Quod si ingenue rẽ profiteri velimus, scimus quod interpres Matthæi Syri, Græcus & Latinus, non sit, hoc loco optimè de hac nostræ fidei parte meritus, Si enim dixisset σὺ εἶ πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρῳ & tu es Petra & super hanc Petram; res fuisset multò clarior: nunc autem cum priori loco πέτρον Petrum, posteriori petram posuerit, videntur, propter mutatam vocem res etiam permutatæ, cùm Christus qui Syriacè proculdubio

{Pant hou cepho veal hodo cipha} loquebatur dixerit ראנת הו באפא ועל הרא באפא id est, tu es Petra, (πέτρος Attice) & super hanc Petram. Quod si nostro placuisset Interpreti multum detraxisset obscuritatis. Christus igitur est primarium Ecclesiæ fundamentum

i. Delectum, Ducem, Præsidem, Præsidem, summum pastorũ, Principem, Imperatorem. Petrus autem & Apostoli cæteri secundum locum obtinent quamuis & hi super Petrum sint ædificati. Hinc illæ antiquorũ voces, illa nomina omni auctoritate plena quibus veteres patres appellãt illum Apostolorum πρόκριτον, ἔξαρχον, πρόεδρον, προστάτην, κορυφαῖον, ἀρχιποίμενα, ἡγεμόνα, & si quæ alia sunt eiusmodi honoris nomina Si quis autem ampliorem lucem desideret consulat locum Ioannis vbi

Ioan 21. Christus Petro Iam tertio amorem confitenti. *Pasce* (aie-
Luc. 22. bat) *oues meas*: & illud *ecce sathanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum ego autem rogaui pro te Petre vt non deficiat fides tua*, Impium est autem cum Caluino dicere hanc dignitatem Petro datam, ad successores eius non deriuare Nam Christus ecclesiam suam vsque ad finem sęculi duraturam instituit, secundum illud Isai. cap. 9. *Super solium Dauid & super regnum eius sedebit, vt confirmet & corroboret illud in iudicio & iustitia à modo & vsque in sempiternum.* Potestas siquidem apud eos qui cum Christo vixere ita instituta est, vt ad posteros deriuaretur, pro vnitate Ecclesiæ vsque ad finem sæculi quemadmodũ ipse saluator ait. Ego vobiscum

Matth. vltim. sum vsque ad consummationem sæculi, Et profectò euidens iudicium insipientiæ est existimare Christum pro eo

duntaxat

duntaxat tempore prospexisse ouibus suis de pastore, quo victurus erat Petrus, & non potiùs vsque ad consummationem sæculi, quousque nouerat oues suas duraturas? Ad hæc cum Dominus sufficientissimè prouiderit, Synagogæ Veteris Testamenti, ita vt ei imprecando, dicat, Quid vltrà facere debui vineæ meę, & non feci? Nónne ridiculum est credere, Christum insufficienter prouidisse Christianæ Ecclesiæ, & non potiùs eam constituisse, vnum ouile, sub vno pastore coęuo Ecclesiæ? Itaque liquet vnum esse Pontificem qui præsit Ecclesiæ vniuersæ, & hic post Christum Petrus fuerit, & illo vita functo, legitimi successores eius Romani Pontifices, vsque in hodiernum diem, neque posse dici aliam quampiam Ecclesiam hoc prærogatiuo gaudere. Denique Iacobus qui videbatur columna Ecclesiæ, vna contentus est Hierosolyma, Petro vniuersitatem cedens, & communis omnium Christianorum semper fuit vnanimis confessio, Romani Pontificis sedem solam esse Apostolicam sedem. Quod quid aliud est, quàm fateri Romanum Pontificem Petri successorem, esse Rectorem Catholicæ Ecclesiæ? Nam in Apostolica sede includitur, Apostolica authoritas & in Apostolica authoritate, facultas regẽdi totam Ecclesiam. Illa igitur est Apostolica Ecclesia, quam primum ipsi fundarunt Apostoli, vti bonus artifex, (inquit Paulus) fundamenta ieci, alius autẽ superædificauit. Quomodo Romanam quidem Petrus, Asianam Ioannes, Persicam Simon & Iudas, Indicam Thomas & Bartholomæus, Aethiopicam Matthæus, Achaicam Andræas, diuus Paulus Syriacam Anthiochenam, Thessalicam Philippenses & cæteras Græcas rexerũt. Deinde quæ non partem tantũ aliquã Apostolicæ doctrinæ, sed vniuersam doctrinam Apostolorum sequitur, ab eáque ne latum quidem vnguem discedit. Quamquidem Apostolicam doctrinam in duas partes distinctam docuit Paulus. In eam quæ oretenus prolata est, ac in moribus hominum constituta, & eam quam in Epistola atque attramento constitutam docet Ioannes. Postremò illa Apostolica dicitur Ecclesia in cuius cathedra aliquando Apostoli ipsi consederunt & quæ ab ipsis Apostolis pastorum & doctorum continuam & perpetuam.

Iere. 2.

Galat. 2.

Act. 15.

Successionem Apostolicam & venerandam patrum caniciẽ hæreticorum pueritiæ opponimus, hocq; pacto probè tutasse videmus & meritò Romanæ Ecclesiæ maiestatem.

Ioan. 3.

Cur Ecclesia dicatur Apostolica.

perpetuam succesſionem vſque ad hodiernum diem conſeruauit. Quanquam autem omnes illæ Eccleſiæ Apoſtolicæ dicuntur, quæ hoc modo, vel ab Apoſtolis ipſis ſunt fundatæ, vel eorum doctrinam per omnia ſequuntur, vel quibus ipſi præfuerunt Apoſtoli præcipuè tamen & peculiariter, ac quaſi per excellentiam & Antonomaſiam quandam, illa Apoſtolica dicta eſt ſemper Eccleſia, quam

Cur eccleſia dicta ſit Apoſtolica.

ipſi Principes Apoſtolorum DD. inquam Petrus & Paulus fundarunt, ipſiq; præfuerunt, vel propter Apoſtolorum dignitatem, vel propter præcipuum Chriſti promiſſum. *Ego pro te oraui Petre, vt non deficiat fides tua.* Et. *Elegi eum mihi vt ſit vas electionis, vt portet nomen meum coram gentilibus.* Vel propterea, quòd aliis ob varias hæreſes, atque ſchiſmata, alioſq; errores ceſſantibus, ac planè extinctis hæc ſola perpetuò durare debuit, itaque ſola peculiari quodammodo ab omnibus veteribus, ſedes Apoſtolica dicta eſt ſemper, ad eamq; ſolam omnes ferè aliæ, prouocarunt, ſoliúſq; ſucceſsionem demonſtrant, quod in vetuſtiſsimorum Patrum exemplis probatur, Gallicas, Italicas, Hiſpanicas, Anglicas, Scoticas, Hibernicas, Germanicas, Gotticas, Sarmaticas, & vniuerſales Occidentales Eccleſias, Romanæ, vt capiti ſuo adhæſiſſe. Certò ſcimus, & viciſsim Petri ſucceſſorem: vt paſtorem Oecumenicum decebat eis inuigilaſſe.

Eccleſia Romana.

Ad Auſtrum conuerſis inter præcipuas vniuerſæ Africæ Eccleſiæ Romanæ principatum agnoſcentes, in primis occurrit celebris illa Carthaginenſis: quæ Numidicis & Mauritanicis inuigilabat: & qui huic præeſt * profitetur cathedram Petri ſuper quē à Dño ædificata fuit Eccleſia, principalem eſſe, Vnde vnitas ſacerdotalis exorta eſt, cuius fides Apoſtolo prædicante, laudata eſt, & ad quàm perfidia non poſsit habere acceſſum. Si proficiſcamur Hyponem idem nobis fatebitur loci Eccleſia cum ſuo Antiſtite, * noſtris adſcribitur numeris Alexandrina ſedes, quàm in AEgyptum P ntapolim & Libiam iuxtà antiquam conſuetudinem, τὴν ἐξουσίαν ἔχειν, id eſt excellentiam, ſummámque poteſtatem, & dignitatē habere legimus, cámque gaudere quod Apoſtolica laude commendetur, & fidei Eccleſiæ Romanę particeps ſit, iam tãdem prouehamur ad Orientis plagas,

** Cyprian. fuit epiſcopus eccleſiæ Carthaginenſis.*

** Auguſtinus Hipponenſis Epiſcopus.*

plagas, vbi videbimus Syriæ vniuersæ, Palestinæ & Arabiæ celebres occurrere Ecclesias, Romanam suspicientes potestatem. Ne autem pluribus obtundam lectoris animum in re stam aperta, si cui plura sit cognoscendi libido, reuoluat Ecclesiæ scriptores penè omnes, eos potissimum, quos nec Caluinus reprehendere, nec refutare audet, vbi ex natura monarchiæ liquido monstratur in Christiana Republica summum caput institui oportuisse, ad quod velut ad asylum se reciperēt, vel ius proprium alibi retinere non possent. Et hoc intelligere se plus satis ostendunt hæretici, qui cùm nihil intactum reliquerint, potissimum tamen illam sedem tota canum furētium acie, cum monstris veluti pro copiis validissimis adoriuntur, cuius eximium decus minimè ferre nequeunt nec ad eius sacra capessenda mysteria idonei sunt, ideo inuidia & odio quodam vatiniano furentes, dolent eam tantis insigniri legitimis titulis, tanquam ordinario successionis iure regi & gubernari sub vno eodemq; subalterno capite quod est Pontifex Romanus. Nec sibi imperare voluit Caluinus vt modestiùs de Catholica ecclesia sentiret, sed eò furoris & dementiæ redactus est vt Gigas alter Deum ipsum ad certamen prouocare ausus sit, de eiusque diuinitate, & indiuiduæ trinitatis personarum Omiousia varias blaterat blasphemias nam modo in Concilio imo inter conuenticula Lausanensis vrbis fastidiens & veluti nauseabundus Athanasij Symbolum in illa pręcipuè parte vbi credimus liam, a esse personam patris, aliam filij, aliam spiritus sancti calumniatur & contemnit. Et vt mali sui dæmonis obsequatur impetui Nicæam iterum arguit Synodum quam nos omnium veluti ore veneramur & suspicimus quod in regula illa fidei siue Symbolo suo *Deum de Deo lumen de lumine* profiteatur, asseritque maleuolus iste nebulo inesse illic Battalogiam Qua in re nemo adeo mentis & iudicij inops est qui non e diametro illum videat omni veritati repugnare, & in contradicendis maiorum authoritatibus deliciari. Est enim quoddam genus hominum seu potius petulantissimorum scurrarum, qui nulli cupiunt esse vsui, nihil publico commodo addere volunt, quam vt veris Catholicæ fidei alum-

Monarchia ecclesiæ visibilis est.

Caluinus Symbolum Nicænū reprehendit Battologiæ.

nis facessant negotium nec alia re celebres, cuius modi sunt Heresiarchæ omnes qui veluti ex equo Troiano prosilierunt ex hac fœdissima vitiorum sentina & Caluiniana schola, nihil probantes præter quod ex vertiginoso eiusdem cerebro conflatum publicatur, idcircò omnes suas blasphemias in veritatẽ eiúsque Columnam Ecclesiam Catholicam eiaculantur, quàm tamen ab eorundem petulantia tutam Christo & Apostolicis Principibus esse demonstrauimus tum sacri Nicæni Synodi tam fœdè ab iniquis rabulis suggesti hæretici dilacerati Symbolo illæsam & Christi sponsam æternam merito credi ostendimus. Illam ideo vnam columbam suam, perfectam suam, matri suæ electam asserit, ad distinctionem reginarum, concubinarum & adolescentularum. Ecclesia illa est quę dicitur Apostolica & Catholica tum vna, quia non sunt plures, quia sunt sectæ dissectæ plura schismata & synagogæ Satanæ abeunt in infinita capita, nam in tot Caluinianæ sectatoribus impietatis vix quatuor inuenies qui per omnia eadem sentiant. Nos autem vnitatis & doctrinæ Apostolicæ veritate instructi nullo modo deuios nos ostendimus à fide & vniuersitate Ecclesiæ quã nos ex Symbolo Nicæno ipsis etiã Hęreticis verendo profitemur in sacra nostra Lyturgia. Ne autem excidat loci oportunitas & ratio, néve aliquid inuoluatur quod sit intricatam congerie, precamur pium Lectorem obiter animaduertere summa illa insignia non fictæ nec claudicantis aut emortuę fidei quę protestamur in hoc sacro Symbolo Primum summam & indiuiduam Trinitatem dum fatemur nos credere in Deum Patrem filium & spiritum sanctum, contra stolidum errorem Musculi (quem Germanorum multi falsitatis ὑπερασπιστὴν vocant) cum fastidio & fastu reiiciẽtis personarum ἐμφάσιν in Anticochleo. *Nollem (inquit) coram Ethnicis patrem filium & spiritum sanctum dicere tres personas ne viderer dicere tres Deos. Vocabulum hoc persona non ita necessarium est ad fidem Christianam vt sine illo nequeas esse Christianus, cum illud primi Christiani ignorauerint.* Caluinus qui omnia irreuerenter dicit, eandem attigit hæresim imo auxit in diminutionem fidelium libro primo Instit. ca. 13. sect 5. dum ait, *Vtinam sepulta essent*

Cant. 6.

Hæreticorum dissectæ sunt sectæ & quasi ciuili bello pugnantia capita mutuis vulneribus sese dilaniantia, quod si aliquãdo coire contigat illud est aduersus Ecclesiam Christi.

essent vocabula personarum trinitatis modo constaret Patrem filium & Spiritum Sanctum vnum esse Deum. Quis putaret sub sensus hominum, tam turpes ignorantiæ scatebras cadere? quis dixisset virulentas tales blasphemias in principiis nostræ fidei pullulascere? Bernardus Ochinus vir sanctissimum religionis genus mentitus, & subdola fraude irretitus lib. 2. Dialogorum *Deum infinitum* Deum trinum dicere mõstruosa esse nomina, Deúmq; sathanicum obtrudere Prophetis & Apostolis ignotum asserit. Quis Ethnicorum vnquam in Deum scripsit hostilius? Ne ergo quidquam nobis obiiciatur cum istis infidelibus pseudoapostolis commune nos in ipso capite symboli omnes schismaticos & Athæos confundimus & sanctam Trinitatem confitemur, non hominum Antiquorum suffragio sed ipsius fidei efficacia, quæ verbo diuino firmissimè innititur. Nos enim ex scripturis colligimus Trinitatem personarum in vnitate essentiæ Ioann. 5. *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, pater verbum & Spiritus Sanctus, & hi tres vnum sunt.* Sub cuius insigniis aut auspiciis efficimur Christiani? Nónne in nomine Patris & filij & spiritus Sancti in baptismate Christianæ Ecclesiæ inauguramur filij? Quid prędicatur nobis adultis & viuentibus, nisi quod tres vnum sunt? Quibus verbis Ecclesiastes summus Hæbreorum D. Paulus suas cõmendat conciones? Confundit ne Triadis nomina cum Paganorũ fabulosis diis? Nónne prędicat vnũ esse solum Deum loco nõ inclusum. Creatorẽ & gubernatorẽ totius orbis omniúmq; rerum opificẽ, Deinde Iesum Christum filium eius verum Deum redemptorem & iudicem vniuersi & Spiritum sanctum verum Deum authorem totius sanctitatis & virtutis? Iam vides Trinitatẽ personarum in vnitate essentiæ satis apertè distingui. Vides Deum in loco circunscribi & includi non posse verum illum immensum & incomprehensibilem esse, viásque illius humanum captum excedere & eum infinitum esse. Valeant iam mali illi genij qui irrident sacram illam personarum, & Trinitatis appellationem quam nescio quid redolere barbarismi opinantur, & dum in hoc negotio discrimina & præcipitia deiici à fidei tramite non fugiunt misere perduntur

Personarum trinitas in vnitate diuinæ essentia.

Marc. 16.

Act. 17.

traduntur

traduntur & per impios cuniculos, se se abscondunt.

Impudentissimus Caluinus noluit vipereæ linguæ venenum cohibere quin prius malam suam mentem prodiisset aduersus ea omnia quæ fide & doctrina Christiana cōstant in hoc Symbolo piusquā enim blasphemiis Trinitatē fœdè dilacerauit, stomachosus fertur iterū in partes illas quibus dicimus Christum esse *Deum de Deo lumen de lumine Deum verum de Deo vero*, & calumiatur nos falli in hac essentiæ vnitate, dum putat filium Dei à seipso essentiam habere, non aliunde transumptam. Christiana autem veritate in ipsis fidei rudimentis hausimus, Christum vnigenitum esse filium Dei, quod pulchris scripturæ sacræ insigniis edocetur. Habemus Antropateiam illam qua Dominus Deus loquutus est per psalmistam *Ex vtero ante luciferum genui te* & cum omnis generatio & productio sit in substantia essentia & natura, sine quibus non potest dici vera, nec naturalis generatio sed potius quędem alteratio aut commutatio accidentium qui Deo inesse nequeunt, necessario huc adigentur aduersarij vt vel negent Deum esse verè patrem & Christum eius filium naturalē contra infinita scripturæ loca, vel nobiscum fateantur ipsum ab æterno genitum & productum ab essentia & natura diuina eiusdem patris. Negabúntne filium habere essentiam à patre, cum Christus, apud Ioannem 10. apertè illud affirmet. *Quod dedit mihi Pater*, (inquit) *maius omnibus est*? Non suscepit partem aliquam, non dimidium paternæ essentiæ, cùm indiuisibilis sit essentia diuina, nec diuidi, nec partiri posit, Nec sic totam, vt patri nihil superfuerit, tūc enim desiisset patris substantia, seu essentia, aut natura. Quid ergo? Pater totam substantiam dedit filio, & totam sibi retinuit. Totus Deus, totum Deum, totus lux, totum lucem, filium genuit, vt nos profitemur, cum dicimus, *Deum de Deo, lumen de lumine*. Sicut enim à summo sole lux mundana sumitur, & tamen hac liberalitate lux Solis non diminuitur, nec lucis pauperior fit, sic hoc diuini & ineffabilis luminis natura: quæ ex seipsa lumen generat, minui omninò non potuit. Vnde æqualis est patri filius, non natus ex tempore, sed gignenti coeternus videtur æqualis

Inflatus

Aduersus fatuā Caluini αὐτεσίαν.

Psal. 109.

A simili.

Inflatus opinione sua Caluinus hæc audacius in nostrum Symbolum eiaculatus est, sed nihil efficere poterit, nec locum adinuenit nepharius ille error apud cordatos & veros Christianos, cæteris hæc omnia placent qui precipites ruunt in hæresum barathra. Sufficiat prodere turpissimas horum nugonum technas quæ refelli non merentur, nunquam enim tantum ignorantiæ, tantum perfidiæ, tantum malitię in posteris Hęreticis latere opinor. Sed reducamus argumentorum funem.

Si intueamur quid post Symbolũ fiat, primum habituri sumus obuiã ipsam oblationẽ: quæ aliquid habet gratiarũ actionis, & mentẽ nouam, & noua corpori, & animo beneficia postulans. Interdum propter diuinorũ beneficiorum cõmemorationem accidit, εὐχαριστικὸν offertorium, vbi fideles suas offerũt oblationes ex Veteris instituti, & Christiani consuetudine memores præcepti illius. *Non apparebis in cõspectu meo vacuus*, & Christi quod cõmendarit viduã duo minuta mittentem in gazophilacium, tunc fatentur omnes bona, quæcunque diuina liberalitate sumpsisse, eiúsq; sacram benedictionem in ipsis efflagitant, & precantur. Licèt autem non dicamus, vel ex plebe quemuis, masculum, aut fœminam sacrificare posse, vel vllam creaturam posse in noua lege sacrificari: cum excellentius quid habeamus, tamen verè & propriè laici omnes, & fœminæ dum vel panem, & vinum ad sacrificium dedicant, vel nũmulos suos ad altare in eum vsum cõferunt, vel donaria, munera terrena quæuis coram altari Deo repræsentant, *offerre* dicuntur. Offertorium autem ab offerendi veterum ritu nomen accepisse, certum est. Quod autem quidam ex hoc concesso volunt sacrificiũ corporis Christi omninò reiici, ineptiores sunt, & indigniores, quàm vt illis respondeatur: attamẽ ne nos deesse omnium piis votis videamur, dicimus præter sacerdotes, alios etiam offerre posse, & alia offerri, præter ea quæ sacrificantur, & ea ipsa quæ ad futurum sacrificium proponuntur, posse ab ipsis Sacerdotibus offerri, hoc est, voueri Deo, antequam sacrificentur. Ita vt ad Sacrificij rationem planè non pertineant. Multóque magis (quod hic obseruatum in primis cupio,) liquet,

Exod. 25. 34.
Matth. 5
Offertorium.

ipſam rem ſacrificatam, iámque factam victimam poſſe offerri, hoc eſt, repræſentari, ſiſti, proponi coram Deo, per veram oblationem, ſine nouo ſacrificio, nam ſicut in veteri lege ſuper ſacrificia iam ſacra facta inuocabant Dominum populus, & ſacerdotes, ita multò magis nunc, cum hoſtia noſtra ſit Chriſtus Deus, ea corde, ac voce ſiſtitur coram Deo, pro omnium ſuffragiorum validiſsimo, & efficaciſſimo genere, correſpondente planè eiuſdem Chriſti interpellationi quam nunc pro nobis facit ſedens ad dexteram Dei, per ſacrificati corporis continuam oblationem

Heb. 9. ac repræſentationem in cœlo, ſic enim. *Introiens cœlum Pontifex noſter appareт vultui Dei pro nobis per hoſtiam ſuam.* Sic eius ſanguis melius quam ſanguis Abel clamat, cum fuſus eſt de altari, vt mirum non ſit ſi ad ſingula momenta, dum in conſpectu noſtro iacet ſacrificatus per ipſum ac ſuper ipſum vota faciamus Deo. Sed in his amplior tractandis nos expectat periodus. Interim ſacerdos myſterij altitudinem perpendẽs noſtris precibus ſuffragari & eleuari cupit noſque ideo ad orandum hortatur, vt ſacrificium acceptabile ſit apud Deum omnipotentem. Et magno cum ſilentio omnium ſecretè orat, quo nobis repreſentet Chriſti eam mœſtitiam qua ille ſub paſsionem ſuam correptus

Matth. 26. ait ad diſcipulos *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.* Idem

Quid ſignificetur per ſecretas collectas in ſacra Miſſa.

etiam duodecim diſcipulos aſſumpſit ſecretò, & futuram paſsionẽ antea illis prædixit, vel ideò ſecretas appellamus collectas, quæ ſubmiſſa voce referuntur, à Sacerdote tribus præcipuis cauſis, Prima quod ſignificent miſteria illa antiqua variis typis incluſa, & tot ſacrificia Abelis, Iſaac, & agni Paſchalis, & Hirci emiſſarij, per noſtrum Euágelicum ſacrificium ſilere. Secundò ſilentium quo Deus patientiſsimus inter varias iniuriarum, & crudelitatum ſpecies

Eſai 63. vſus eſt, quia tanquam ouis ad occiſionem ductus eſt. Tertiò illud innuunt quod poſtquam Chriſtus ſuſcitauit Lazarum, Iudæorum fugit inſidias vndique furentium, & ſeceſsit in Effraym, ſilentibus ſuis ſacris Concionibus & miraculis vſque ad Sabbatum in Ramis Palmarum cum Simonis Leproſi conuenit domum, & publicè verbi diuini ſemina ſparſit, in cuius gratiam Sacerdos voce alta Præ-

fationem

fationem auſpicatur abrupta proximæ collectæ vltimæ concluſione quæ frequentiori & communiori vſu ſic profertur, *Per omnia ſæcula ſæculorum* & reſpondet populus aut potius in perſona totius populi Chorus ſacerdotum *Amen*, ea voce vota ſua cum orationibus ſacerdotis iungi deſiderans. Hinc tertio ſalutat ad excitandum populum ad attentionem, & poſtulat vt animum eleuent ad Deum & gratias agant. Nec recedit pia admonitio à Chriſti doctrina, qui ſuis miniſteriis ſemper attētos & peruigiles fecit Apoſtolos & ſepenumero gratias egit Deo patri licet ſcriptura non apertè inſinuet nec exprimat gratiarum actionis verba. Hic cogitatio omnis ſæcularis carnaliſve abſcedat, nec quicquam tunc animus, quàm id ſolùm cogitet, quod precatur. Claudatur contra aduerſarium pectus, & ſoli Deo pateat, nec ad ſe hoſtem Dei, tempore orationis adire patiatur. Obrepit enim frequenter, & penetrat, & ſubtiliter fallens preces noſtras, à Deo auocat, vt aliud habeamus in corde, aliud in voce cum intentione ſyncera Dominum debeat non vocis ſonus, ſed ſenſus & animus orare. Omnes enim debent vultu demiſſo & feruentioris orationis zelo conſenſum prabere ſacrificio quod offertur à Sacerdote. Multo enim res auguſtior, & altior exequitur in ſacro miſſæ ſacrificio, quàm in hæretico ientaculo. Nam ſi cantilenas quaſdam permurmuraſſe ſatis eſſe cogitant iſti cœnæ Caluinianæ idolatræ, nos exiſtimamus religioſum, & verè Chriſtianum animum morari debere, qua deuotione fiant communes preces à clero, qua reuerentia ſacrificetur corpus Chriſti pro reliqua plebe, vel ad placandum, vel conciliandum numen implorandas auxiliares ſacerdotum manus, & totius cleri pios conatus putamus, quò faciliùs voti ſimus compotes. Proximè adſtantes mouentur, inflamantur, & rapiuntur, & plebs vniuerſa rectiùs ergà ſacrificium afficitur, & hac ratione quiduis ſalutari victima facilius à pientiſsimo parente Deo nos impetrare credimus. Sacerdos itaque ante Conſecrationem præfatione præmiſſa, parat fratrum mentes, dicendo, *Surſum corda*, Norunt fideles, vbi & quando dicatur, *Gratias agamus Domino Deo noſtro.* Quis autem

Per omnia ſæcula ſeculorum.

Matth. 26. Marc. 14.

Attentione ſumma prabetur aſſenſus precibus ſacerdotis.

gratias agit, nisi qui sursum cor habet ad Dñm *sursum corda.* Et profectò nemo est donis Dei beatus, qui donâti existit in gratus. Quia & illud quo inter sacra mysteria cor habere sursum iubemur ipso adiuuante; id valemus quo iubente admonemur. Populo igitur piis Sacerdotis exhortatiotionibus annuente, iam quasi Spiritus diuini consolatione satiatus, & cœlesti suffusus rore elatior fit, & congratulando alta voce manibus, & oculis in cœlum sublatis (inquit) *Verè dignum & iustum est, æquum & salutare*, & cætera quæ sequuntur ad maioris & perfectioris gratiæ conciliandæ vsum, cùm ad imitationem Christi qui antequam sacram institueret Eucharistiam multis & dignis ceremoniis precum, & orationum ardori coniunctis exornauit, adeò vt temerè vituperentur, quæ Christo placēt, & ab ipso obseruatæ nostris, à multis seculis excultę sunt in Ecclesiis. Is est enim Saluator noster qui eas nos magna ex parte docuit qui seruandas eas suo monstrauit exemplo, & ita in Christum blasphemam linguam laxare videntur Caluinistæ, qui earum obseruationes, gesticulationes quasdam, & simiarum gestus vocitant, cùm Christus non paucas peregerit. Siquidem inter hæc mysteria Christus Patrem suum orauit, tum pro se, tum pro discipulis, atque pro illis qui per verbum illorum credituri erant in eum, sed non nisi subleuatis in cœlum oculis, ne absque ceremoniis illum orasse putetur, vt dicit Ioannes. 17. Passionis mysterium auspicaturus, progressus pusillum (vltra, videlicet tres Apostolos) procidit in faciem suam orans. Item Luc. 22. Positis genibus orabat. Marc. quoque 7. Suspiciēs in cœlum ingemuit, Rursus Lucæ decimo dum rogaretur Christus, Quis noster esset proximus, suspiciens, (ait) Iesus dixit. Homo quidam, &c. Denique Lucæ vltimo. de Christo mox in cœlum ascensuro dicitur. Eleuatis manibus, benedixit eis. Marci quoque decimo. Iesus complexans paruulos, & imponens manus super illos, benedicebat eos, En vt Christus inter orandum, modo in faciem procumbit (quod à monasticis, canonicísque cœtibus, dum orationes proferuntur, optimè obseruatur) modo genua ponit, modo suspicit in cœlum, quòd & in priuatis, aut submissa voce, expreſsis orationibus

Defensio ceremoniarum Catholicarum.

Matth. 26.

Matth. 26.
Ioan. 17.

orationibus piè & religiosè veneramur, Nonnunquam & in publicis, altáque voce pronunciatis, modo manus eleuans, diſcipulis benedicit, quod Epiſcopus, aut Sacerdos, aut alias in ſpiritualibus prælatus, agit populo manibus in crucis modum ductis benedicens, modo paruulis manus ſuperponit, eiſq; benedicit, quod & facit Epiſcopus in ſacris ordinibus cõferendis, aut alius Presbyter abſolutionis beneficium pœnitenti conferens. Ab Apoſtolis & cæteris Chriſti diſcipulis externas quoque ceremonias inter adorandum Deum, idq; quemadmodum ab eo fuerant edocti (vt credendum eſt) & poſt acceptum Spiritum Sanctum, & plenam Euangelicæ veritatis agnitionem obſeruatus, ſacræ palam faciunt ſcripturæ. Paulus quoque ceremonias varias ſuis admonitionibus congerit, iam vult ſacra Templa claudi mulieribus non velatis, iam iubet viros detecto capite orare, vt nefas ſit hæc fruſtrà fieri exiſtimare. Sic cum publicano tunditur pectus, demittitur vultus, exhorrens veluti maieſtatem terribilis & ſummi Dei alloqui, abſque humilitatis demonſtratione. Proinde Petrus Thabite quæ dicitur Dorcas, ſuſcitationẽ à Deo poſtulaturus, & ita adoraturus genua poſuiſſe Act. cap. 9. fertur. Stephanus etiam Protomartyr (vt optimè habetur Act. c. 7. poſitis genibus clamauit voce magna, dicens, Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum. Sic Act. 20. memoratur quomodo Paulus poſt longam exhortationem ad Miletanos, & Epheſinos Epiſcopos, & maiores natu, poſitis genibus orauit, cum omnibus illis. Item Act. c. 8. Petrus & Ioannes in Samariam miſsi ad eos qui Dei verbum receperunt fuſa pro eis oratione manus imponebant ſuper illos, & accipiebant Spiritum Sanctum. Ceremonias quas nec in ſacris expreſsis, nec à Chriſto obſeruatas legimus, vt ſignaculo crucis ſignare, ad Orienrem conuerſos in Templis orare, & huiuſmodi quas vniuerſalis obſeruat Eccleſia, partim ab Apoſtolis, partim à generaliſsimis Conciliis retinemus. Cum enim natura hominum, non facilè queat ſine adminiculis exterioribus ad diuinarum rerum meditationem extolli, propterea pia mater Eccleſia ritibus quibuſdam, & ceremoniis vtitur, vt per hæc viſibilia ad inuiſibilia eleuemur

1. Corinth. 11. Luc. 18.

uemur, vnde ab Ecclesia damnatur, qui dixerit receptos & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in solenni Sacramentorum administratione & in Missæ sacrificio adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à ministris pro libito omitti, aut in nouos alios per quemcunque Ecclesiarum pastorem mutari posse. Et mirum est cur non omnia simul tollant Sacramenta, qui ceremonias tollendas esse putant. Namque sacramenta ritus sacri sunt. An confertur apud ipsos baptisma sine ritu? an cœna? ánnon orant flexo genu? ánnon conuentus faciunt solennes? sed exæcantur odio, & quæ sensu percipiunt mentis oculo non vident. Nos autem Ecclesiæ ritus obseruabimus, hos nobis tanquam per manus tradidere Apostoli. Nam vt multos acceperint à sacris Bibliis olim Patres, at bonam eorum partem vsu, atque imitatione constituerunt, quæ tenere ac reuereri decet, quibus excitamur ad orandum humiliùs ac feruentiùs, cum & à Sapiente moneamur minora nequaquam negligere, ne à maioribus paulatim excidamus. His enim principiis suas bases fixisse hæresim multorum testimonio & reipublicæ Christianæ iactura didicimus. Primò impetu sacros ritus impetit Impostrix illa, vult tolli minores illas cerimonias, quibus sacra nostra illustrantur. Arguit primum genuflexiones, aquam benedictam, supellectilem ordinis clericalis, cruces, lustrationes publicas, supplicationes, & reliquas religionis nostræ appendices carptim sugillat, deinde essentiam ipsam aggreditur, substantiã contractus impugnat, Sacramenta ipsa negat, & Sacrificium ipsius denique cœli aditum nobis occludere tentat. Facili similitudine arbitror ceremonias, Sacris mysteriis id præstare, quod tenues ligulæ vimine, aut iunco contextę faciunt ingentium doliorum circulis, quibus alligantur, & tenaciter connectuntur, vt sine his statim effluat, quicquid liquoris aut vini, aut aquæ intromiseris compage soluta, laxísq; circulis, & tamen nullius momẽti vel paucioris vidẽtur. Quod si tanta dixisse non sufficiant ad Siccophantarũ confudenda labia, sacros hos ritus Ecclesiæ calumniantium, Apostolica nobis succurret sententia, *Vbi non est lex, ibi non est transgressio.* At nulla est lex quæ

Ab Apostolis nati ceremoniarum ritus emanarunt.

Ecclesi.19.

Galat.3.

quæ hos ſacros ritus prohibeat, cur ergo tantopere contra pias Eccleſiæ ceremonias laborant hæretici? Lætamur quod hæc omnia pietatis & deuotionis Christianæ ſpecimina ędant, authoritate eiuſdem Eccleſiæ, quam qui non audit ipſis Publicanis & Ethnicis graui feritur anathemate non diſsimilis. Temerè ergò nephandi iſti Miſoliturgi ſacram Miſſam conuiciis proſcindēdi & calumniandi anſam arripiunt, quod tam piis ceremoniis & acceſſoriis decoretur & exornetur, cū verè ab ipſo Chriſto, tanquam à regula omnium noſtrarum actionum proficiſcantur. Hac potiſsimum ratione impulſus, Sacerdos ſacris accinctus conſecrationibus preces certis ceremoniis fundit Chriſtianæ reipublicæ zelo æſtuans, & ſpiritualis ac ciuilis poteſtatis capita commendat, tum eorum membra & Eccleſiam iſtam militantèm, luménque fidei Ethnicis & ſchiſmaticis exoriri deprecatur. Hæc autem Chriſti exemplo non carent, ſiquidem & orandum pro amicis, & inimicis noſtris docuit. Et Paulus Apoſtolus hunc precandi ordinem tam egregiè præſcribit, dum dicit, *Obſecro igitur* primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus & pro omnibus, qui in ſublimitate ſunt conſtituti, vt quietam & tranquillam vitam agant. Vix autem à riſu tem pero cùm obuius eſt mihi ſermo Caluinianus de falſi abuſu honoris; quem ait nos in Summum Pontificem impendere, tanquam in Deum, vel aliquod numen, quod ſi ita eſſet fruſtra, pro Deo Deum oraremus in noſtris ſacrificiis, Quis vnquam audiuit tam merum delirium? Deinde fingunt Nouatores ſe non ægrè ferre, quod pro Principibus viris precemur, cum & id Ethnicis inſtitutionibus cōgruum ſit, & idem Paulus imperet, 1. Timoth. 2. Apprimè ſcientes per Deum reges regnare, &c. Sed quod Eccleſiaſticos Principes ſęcularibus pręponimus, nos ideo dicit Papæ adulari. Quid ſi nos diceremus eiuſmodi Impoſtores adulari ſuis Principibus? Generali ergò oratione primum vſus, ad ſpecialem deſcendit, præcipua capita Eccleſiæ & paſtorum nomina recenſet, vt cum Apoſtolo præpoſitorum noſtrorum memores ſimus, qui loquuti ſunt

Rom. 4.
Matth. 18.

Oratió pro Pōtifice, Præſulibus & Principibus.

vobis

Heb.13. vobis verbum Dei, Quis enim vigor corporis vbi langor eſt capitis? cum capite langueſcente, flaccida, languida, & tabeſcentia reliqua membra ſint? Rurſum in genere omnes Deo commendat Sacerdos quos appellat *Orthodoxos*, hoc eſt, rectè ſentientes, atque Catholicæ, necnon vniuerſalis & Apoſtolicæ fidei cultores. Sic Chriſtus ipſe (vt dictum eſt) in cœna pro ſeipſo, pro diſcipulis, & per eorum verbum credituris in ipſum precabatur. Sic & orationem Dominicam edocuit, qua ſacrificij interpellationes & poſtulationes concluduntur, vt omnium bonorum petitionem, ita malorum depulſionem efflagitent. Itaque pios omnes credo mecum ſentire in noſtra miſſa, id abundè præſtari, quod Chriſtus ſuis Apoſtolis & nobis præſcripſit. Cum enim in nouiſsima cœna corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini obtulerit, diſcipuliſque ſuis manducandum, & bibendum dederit, & quod tali modo ab ipſis Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus Sacerdotibus fieri voluerit, eóſque vt hoc, & offerrent & manducarent, iuſſerit. Sic noſter ſacrificus primo accipit panem & vinum, vt Euangeliſtæ tradunt Chriſtum panem & calicem accepiſſe. Chriſtus *gratias egit*, idem præſtat noſter Sacerdos, Ille *benedicit*, idem facit & Sacerdos. Chriſtus dicit. *Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus*, Eadem verba in conſecrationis inſtanti profert Sacerdos. Chriſtus fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait, *Accipite & comedite, Hoc eſt corpus meum*, Et accipiens calicem, *gratias egit, & dedit illis; dicens, Bibite ex hoc omnes. Hic eſt enim ſanguis meus Noui Teſtamenti qui pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum.* Idem facit, & noſter Sacerdos. Expletis ſacris hiſce myſteriis Chriſtus *Hymnum dicit*, ſic & Sacerdos precem piiſsimam offert Deo in eius laudem & gratiarum actionem pro diuina illa eſca & potu corporis & ſanguinis eius, quæ poſtcommunio dicitur, petitq́;, & orat Deum totius conſolationis, vt ſacramentum in ſe & aliis permittat operari, ac vim ſuam exercere, quò ſit ipſis commodum, ſalutare, ac efficax, pro corporis & animæ proſpera valetudine, ipſoſq́; certò ac tutò confirmet, & perducat in vitam æternam. Poſtremò Chriſtus pro ſacræ cœnæ coronide dixit

[Margin notes: Ioan.17. — Math.6. — Math.26. Marc.14. Luc.22. 1. Corinth.11. Math.26. Marc.14. — *Omnia quæ in cæna Chriſtus fecit ſunt congrua ſacrificio Miſſæ.*]

dixit, *Surgite, eamus hinc.* Sic & noster Sacerdos dimittit populum, dicẽs, ITE MISSA EST. Vox profectò miræ, & gratę consolationis. Iubet nos abire eadem pace, eadem mentis concordia, qua nos ingressi sumus. Hic potest Sacerdos iure vti verbis Eliæ dicentis, *Exaudi me Domine quoniam secundum præceptum tuum feci hæc omnia.* Nihil enim absque mandato fecisse videtur in his sacris mysteriis, cui iussum est hoc facere in memoriam Domini. Reliquæ autem accidentales partes huius sacrificij, nihil aliud sunt, quam vel Dei laudes aut preces Ecclesiæ quæ licet nihil impietatis in se contineant, ab aduersarij tamen irridentur quod ab ipsis Ecclesiæ primordiis (aiunt illi) non fuerint à Christo, sed successu temporis ab hominibus institutæ, quasi res singulæ non haberent temporis progressu suam perfectionem. Corpus Biblicum hac ratione expungatur è canone, cum à Christo non fuerit initio approbatum, sed diuersis temporibus (velut partes huiusce sacrificij nostri non essentiales) singula quæ in vtriusque testamenti voluminibus rectè adunata, & compacta cernuntur, variis hominũ impensis studiis & laboribus in ritum, & methodum qua hodie versantur apud nos exarata fuerunt. Quid putas aduersarios verborum copiæ peritissimos respondere si interrogarẽtur, an omnia statim ab initio Apostolos instituta sua dedisse credãt? Anne audebunt refragari Paulo, qui fatetur se quidem Corinthiorum fidem plantasse Apollinem verò rigasse, Deum tandem incrementum dedisse. Eosdem Corinthios solatur in promissione reliquarum instructionum ad diuinum cultũ pertinentium, quarum pollicetur traditionem in proximo suo ad eos aduentu. Cætera (inquit) cum venero disponam. Palpitantes etiam & stupentes veluti, dicunt nihil esse addendum sacris mysteriis orationi Dominicæ, Euangelio, scripturæ, ne sapientiores ipso Deo videantur. Ast vnde collexerunt ingentem illum precum, & orationum aceruum, quem in formula celebrandæ cœnæ præscribunt, Si velint hæc Christi eloquio firmari, pessimum eorum animum in propagandis erroribus detegent, & persuadebunt etiam Odulas Maroti & Bezæ instituti esse

1. Corinth. 3.

1. Corinth. 11.

Apoſtolici Chriſtúmque orationem Dominicam dixiſſe in quo hæc petitio, nullomodo illi congrua inſeritur. *Dimitte nobis debita noſtra.* Cum autem nec directè, nec obliquè ceremonias noſtras vnquã compertum ſit repugnare verbo Dei, cur vetitum erit eas ſacrificio Euãgelico addere? Igitur quicquid deſtomachentur, & fremant hæretici, quicquid blaſphement, ſi his tam apertis rationibus, tam ſynceris, incorruptiſq; ſacræ ſcripturæ teſtimoniis, ſe peſſumdatos & attritos videant, fidémque non habuerint relinquantur, pertinaces & miſeri errones, Nihil in Sacroſancti Miſſæ Sacrificij partibus obſecrationibus nimirum orationibus, poſtulationibus, & gratiarum actionibus non ſatis probabile, & comprobatum prætermiſimus, neque poteſt latere aduerſarios noſtros, quin Chriſti & ſcripturæ ſacræ documentis illa omnia tueantur, adeò vt nihil malus nobis ſuperſit, quam ad authenticam Sacrificij & ſacramenti probationem prouehi. Verumtamen hac expedita rate, alter ſcopulus noſtrum remoratur iter. In nos enim hæreticorum Phalanges inſurgunt, & vociferantur, quod cùm Dei iniuria in canone miſſæ preces fundamus ad Beatas Sanctorum animas, tum quod fruſtrà pro defunctis ſacrificia noſtra, & cætera bona opera aliquid mereri, apud Deũ exiſtimemus. Nihil grauius aliud reprehẽdere ſolent. Quamobrem, ne nos acie veritatis, & ſacræ ſcripturæ authoritatibus deſtitui, opinentur, primam eorum Impudentiam aperto Marte aggrediemur. Non negamus in Sacro Miſſæ ſacrificio, beatos Martyres Dei maieſtati præſentari, ſed minime eiſdem ſacrificatur, aut litatur. Merito autem cum reuerentia & honore, illorum agimus memoriam qui nobiſcum multis modis vt ſuperius diximus communicant, quique ſeſe obtulerunt hoſtias viuas domino, adimplentes ea quæ deſunt paſsionum in corpore Chriſti miſtico. Illis autem ſicut Diis non templa, ſed memorias ſicut hominibus mortuis, quorum apud Deũ viuũt ſpiritus, ſacras facimus: nec illis erigimus altaria in quibus ſacrificemus martyribus, ſed vni Deo & martyrum & noſtro ſacrificium immolamus, ad quod ſacrificium ſicut homines Dei, qui mundum in eius confeſsione vicerunt,

Commemorationes ſanctorũ in ſacro Miſſæ canone.

Colo. 1.

vicerunt,suo loco & ordine nominātur,nec tamen eo momento(licet intermisceatur in his orationibus sanctorum patrū & precipuè Martyrum venerandā commemoratio) à sacerdote qui sacrificat inuocantur, Deo quippe non ipsis sacrificat, quanuis in memoriam sacrificet eorum. Et quis adeo vecors est qui dubitet nos sanctis precibus adiuuari, cum occulatissima sint scripturæ iudicia amicos Dei in veteri testamento etiam vita defunctos, viuentibus non parum commodasse? Antiqui illi patres veteris testamenti, preces Diuorum, hoc est beatorum Patrum memoria comite fundebant, quorum meritis, & suppetiis faciliùs exoraturos, quod postulabant, nec repulsam passuros apud Dñm credebant. Multū enim Sanctorū Patrū ad deflectendas cælestes iras potuisse nomina,testatur incorrupta scripturæ authoritas. Quoties placatus est Deus, *propter Abraham Isaac,Iacob, & Dauid seruorum suorum memoriam*? Quot vibrata tela reuulsit, & fregit horum Sanctorum Patrum memoria propitius? Quod si tanta largiri munera in eorum gratiam non supplicatus voluit, quanto maiora expectanda sunt,cum oratur? Hæc supplex orationis pietas,ipsi non fit inanis,nec recusat ea precibus donare, quæ vix rogatus concessit. Ideò meritò miscebant venerandam suis orationibus patrum memoriam, sic vt voti compotes citius redderentur, Exclamabant sæpius *Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob*, quasi eorum memoria, ad propitium clementiæ suæ fauorem flecteretur. In hunc modum precabatur Moyses, vt furorem & æquissimam placaret Domini iram, plebem comminantem, *Recordare Abraham & Isaac & Iacob seruorum tuorum*. Et eius precibus auertit Dominus omnem indignationem. Tres item pueri in fornace succensa, sic orasse leguntur, *Ne auferas nobis misericordiam tuam Domine Deus noster, propter Abraham dilectum tuum, & Isaac seruum tuum, & Iacob Sanctum tuum.* Quis non hîc videt, quid sibi velint illa,propter dilectum, propter seruum, propter Sanctum tuum? Insuper cum Ezechias diuinum implorasset auxilium, hoc accepit responsum. *Protegam vrbem hanc,& saluabo eam propter me, & propter Dauid seruum meum.* Quæ omnia precibus nostris,&

Exod. 32.

Daniel. 3.

3. Reg. 11.

sacrficio aptari possunt, adeò vt optima ratione succensi solemus sanctorum inter sacrificandum facere, duntaxat honorificam illorum certaminum, confessionum, & victoriæ mentionem, próque data illis à Deo gratia cum laudibus hymnis, & gratiarum actione prosequi, simúlque precari, vt illi ipsi nunc de sua incolumitate, gloriáque securi nobis etiamnũ periclitantibus opitulentur. Et vt rem sicse habere cognoscát, qui preces huiusmodi vafrè nequitérq; dissimulant, ante multa sæcula damnati sunt à nobis Collyridiani, qui Dei genitricem re diuina sibi colendam arbitrabantur. Catholicæ siquidem fidei doctrina est, eritq; semper Deum habere propriam, & peculiarem Latriam, diuos autem honore aliquo affici, dum ipsorum vel celebrantur laudes, vel patrocinium petitur, & quisquis hoc calumniatur, nil aliud quam Fausti Manichæi factum renouat. Veruntamen si ob priscorum patrum ante legem & sub lege veteri merita, Deus præstitit beneficia populis & mala ab eis auertit, vt prædicta exempla docent nónne non solum meliora, sed etiam maiora beneficia præstitit viuentibus, propter Sanctos qui in Euangelica lege virtutibus excellenter effloruerunt, præcipue cum non minoris fuerint sanctimoniæ, perfectionis, claritudinis, & præstantiæ quam illi?

Collyridiani, collyridem virgini Mariæ offerebant in sacrificium cum nulli nisi soli Deo id debeatur.

De commemoratione defunctorum.

Aliud superest cauillatoribus hæreticis calumniæ suffugium ad quod cum iam penè rem sibi ad restim vsque redisse videant, maiore & fortiore impetu recurrunt, nósque dementiæ & insaniæ arguunt quod oremus inter sacrificandum pro *his qui nos hic præcesserunt*, sed longè à seipsis dissentirent, si veritatis radiis illustrati nobiscum credere vellent Christum Dominum in illo saltem sacrificio cruento in ara crucis immolato, has sacras emisisse preces. Non enim Sacerdotis & sacrifici munus solum est offerre aut sacrificare, sed sacrificio iungere, & connectere sacram orationum efficaciam. Nec patet latiùs sacrificium, quam sacrifici oratio, Christus autem non tantum sacrum corpus suum obtulit in cruce, *sed preces supplicationesq́, ad eum qui possit illum saluum facere à morte cum clamore valido & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia.* Quemadmodum ergò

Christus in cruce pro defunctis orauit.

Hebr. 5.

ergò immolatus fuit, non solùm pro viuis, sed pro omnibus à Protoparente Adamo ad eius, vsque tempora mortuis, & cæteris nascituris, sic eisdẽ suas orationes gemitus, & lachrmias maximè profuisse credere debemus, quod si quis aduersetur Christum pro illis qui ab Adamo vsque ad eius tempora mortui erant non orasse, simul fateri premetur, eos absque summi sacrifici mediatoris nostræ redemptionis precibus salutem consequutos fuisse, nihilq́ue ex ipsius efflagitationibus demeruisse, etsi redimi non potuerint sine suo sacrificio, quæ opinio certè hellebori pharmaco indiget, & sanioris doctrinæ intelligentia, quia qui pietatem in Ecclesia hauserunt, certò sciunt *quod veluti sacrificatur æ Christi oblatio viuis, & defunctis profuit, sic & sui sacerdotij oratio non minoris aut languidioris fuit effectus & gratiæ.* * Et quãuis omnibus aliis destitueremur rationibus ad probandum defunctorum animabus nostris precationibus subueniendum esse, ista sunt validissima ad euertendos omnium obiectionum & contradictionum cuniculos. Adde quod ex sacræ Scripturæ officina multa depromuntur testimonia, & fortissima huius doctrinę propugnacula. Sed frequentiori teneor admiratione, qua decausa gloriosi ostentatores, & iactabundi ministri Hæreticæ scholæ, Christianis hoc orationis priuilegium negent, cum Iudæis concedatur, & si id quispiam abolere vellet de nullitate decreti, protestarentur Iudæi penè omnes qui in variis nostræ Europæ plagis princi pum clementia commorantur, aut à nostro orbe exteras regiones frequentant, quiq́ue ante ipsa Apostolorum tempora proauorum consuetudine recepta pro dormientibus in Domino precari, & sacrificia offerre solent. Quod cum res ita se habeat, nimis perfidè de Christi gratia abutuntur, qui concedentes Iudæis propitiatorium quo suis mortuis opitulentur, illud nobis negant, quasi tunc illis maior, quam post Christum nobis illuxisset gratia. Inter Hębreos, Syros, Chaldęos, Arabes, & Æthiopes, hic mos de precibus pro defunctis fidelibus exsoluendis, & crebo expiatorio religiosus est. Nam quod Moyses scribit de celebratione exequiarum super Patriarcharum morte, in Machabeorum libris exponitur, non

Axioma Catholicum ex Epistola Apostoli ad Hebreos collectũ.

** Ridiculum siquidem esset fateri Christũ non orasse pro his pro quibus sacrificium offerebat.*

Iudæi orant pro defunctis antiquorum more.

solum Iudæ exemplo, qui dicitur misisse Hyerosolimam duodecim millia drachmarum, vt defunctis militibus sacrificij auxilio essent, quibus in fide, licet vera mortuis, næuos quosdam adhæsisse verebatur ex inuentis anathematibus, sed etiam Sancta illa sententia. Sancta ergo & salubris est cogitatio, pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur. Quid ego verò hæc? Impius somniorum & mendacij artifex Diabolus persuasit istis miserè delusis hominibus hos libros in cathalogum Canonicorum non referri, vt hoc telum tantis machinis possit, vel extorquere vel obtundere. Sed in cassum, nam multis elapsis sæculis, proteruus hic damnatus est error, vt nemini nisi prorsus nefario, & contumaci de horum librorum veritate, cui tot antiqui Patres cum Ecclesiæ Catholicæ iudicio stipulati sunt, dubitare liceat. Attamen omnes hic meminisse cupio eius discriminis, quod inter sacros libros extitisse communis est multorum sententia, quorum alij quibusdam in Ecclesiis aliquando vel suspecti, vel serius recepti, alij nusquam non semper in precio habiti. Consulant interea sacras Doctorum Ecclesiæ lucubrationes & Conciliorum canones, imò Ecclesiasticas constitutiones, vbi omnibus modis commendantur sacra hæc volumina, qui Caluini fumos vendunt, & qui curam pro mortuis agendam, & maiorum nostrorum erga defunctos pietatem variis contumeliis proscindunt, impura traditione fascinati Aerij hæretici qui ante mille ducentos annos risit Ecclesiam Dei pro fidelibus defunctis orantem, quem errorem nostri temporis Impostores veterē & obsoletum à fœda inferiorum lacuna renouarunt, & excitauerunt. Sed si non valeant libri Machabeorum apud hos semiiudeos ad authoritatem, valeant saltem ad antiquitatem. Nam vnde didicit Iudas Machabeus (quem aduersarij saltem virum bonum, Sanctum, & in lege Mosis eruditum fuisse, & hoc fecisse admittunt, vnde inquam didicit pro mortuorum peccatis fieri sacrificia, nisi vnde Paulus quoque didicit fieri pro mortuorū peccatis baptismata? *Si mortui* (ait Paulus 1. Cor. 15.) *non resurgunt, vt quid & baptizantur illi?* Ac si diceret iuxta maiorum nostrorum interpretationem. Cur mundantur à

2. Mach. 12.

Expunxerunt hæretici è cathalogo canonicarum scripturarum libros Machabæorum.

Aerius primus impugnauit defunctorum suffragia.

Sacerdotibus

Sacerdotibus secundùm legem, pro peccatis, eorum qui mortui sunt, sine mundatione lege præscripta Numeri 19. versu 13. si mortui non resurgunt ad hoc, scilicet, *vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit siue bonum, siue malum?* 2.Corinth. 5. Quod si pro peccatis eorum qui cum pietate alioqui mortui erant, sed sine huiusmodi aspersionibus & baptismatibus in lege præscriptis alij qui de eorum salute soliciti erant, baptizabantur, hoc est, aspersione illa sine quibus illi à vita recesserant, sibi per Sacerdotes legis adhiberi curabant ad satisfaciendum pro illis. Nónne multò magis Sacerdotes noui Testamenti poterunt debitum mortuorum suis oblationibus, & precibus dissoluere? Cum Iesus filius Sirach. 7. ca. Ecclesiastici dicit. *Mortuo ne prohibeas gratiam*, de gratia Dati, de qua proximè disseruerat, loquitur vt sensus huius sit, Mortuo, ne prohibeas gratiam dati. Itaque dari potest aliquid mortuo, quod ei prosit, hoc autem cum aliud esse non posit, quam oratio sacrificia, & eleemosinæ, quæ pro defuncto fiunt ad emundationem leuicularũ sordium, cõsequens necessario est, vt qui hanc gratiam dati mortuis negat, is sacræ scripturæ contradicat. Nec vir pius, & Sanctus Thobias filio suo, charissimo iubens, *vt poneret panem & vinum super sepulturam iusti*, existimabat mortuos indigere cibo & potu, sed charitatis Spiritu edoctus cupiebat fideles qui cum peccatis leuioribus, per humanã infirmitatẽ commissis vitam efflarent, precationibus & Eleemosinis eorum qui cũ ipsis charitate coniungebantur adiuuari. Et certè à temporibus Apostolorum neminem legimus hanc Ecclesiæ pro mortuis supplicandi cõsuetudinem, excepto illo hæresiarchatum Aërio nephãdissimo accusasse, cum nemo feris adeò natus sit moribus, aut crudeli sub Sydere existimetur, qui defunctorum animas hac pietate non iuuari putet, quíve eorum soporem in Domino precibus non commendet. Idcircò non frustra ab Apostolis sancitum esse credimus, vt in celebratione mysteriorum venerandorum memoria fiat eorum qui hinc discesserunt. Quando enim Regum trophæa eriguntur, tunc ac celebrantur, & quicunque victoriæ socij fuerunt, cõmendãtur dimittũtur, qui sunt in vinculis

2. Cor. 5.

Eccles. 7.

Gratia siquidẽ sepultura nihil mortuo prodest.

Tob. 4.

simile.

vinculis per illud tempus, vbi autem transierit tempus hoc, qui nihil assequutus est, nihil obtinet, ita & hic in celebratione mysteriorum, trophæorum, & celebrandæ vi-

Similit. ctoriæ tempus est. Si Rex eos à quibus offensus est in exilium pepulerit, postea verò illorum propinqui coronam aliquam conficientes, pro his qui sunt in supplicio exulibus eidem offerrent, nónne condonationem aliquam suppliciorum ipsis daret? Ad eundem modum & nos pro defunctis precationes adhibentes, quamuis sint peccatores, non quidem coronam plectimus, sed Christum pro nobis peccatis mactatum offerimus, vt & nobis, & illis Deũ, qui

Suffragia defunctorum. est benignissimus, propitium reddamus. Et Sancta parens nostra Ecclesia cernens sua membra, suósque socios hinc discedentes, ad portum salutis nondum peruenisse, sed adhuc existentes in via, nostris egere suffragiis, piè & à Spiritu Sancto edocta, orationes pro illis fieri, sacrificium altaris offerri, eleemosinâsque statuit elargiri. Demum vt ad sacrorum omnium mysteriorum Architypum redeamus. Christus id palam docuit, vt ipsa verba quibus hoc sacrificium instituit demonstrant, cùm absolutè: & sine vlla restrictione dicit Apostolis, & eorum successoribus omnibus Sacerdotibus, scilicet, *hoc facite in meam commemorationem*, hoc ipso quòd non determinauit personas, pro qui-

Ad omnia sacrificium efficax. bus hoc fieret, neque causas ob quas sacrificium fieret, liberum reliquit offerentibus applicationem eius ad personas quaslibet, & causas: cùm ex natura tale sit sacrificium vt pro omnibus, & ad omnia sit efficax, vtpote idem existens cùm eo quod semel pro omnibus oblatum est in cruce. Ita vt hoc sacrificium valeat ad gratiarum actionem, ad peccatorum remissionem, ad auertendam Dei iram, ad conciliandam nobis eius beneuolentiam, beneficia impetranda, tam spiritualia quàm temporalia, tam nobis ipsis quàm aliis, tam viuis quam defunctis, breuiter ad omnia obtinenda, quæcunque sanctè à Deo per Christum desiderari possunt, quem cum facilè constet, eum pro defunctis exorasse, & pro eisdem Iudæorum ritus non reprobasse, pulchrè imitandus est, ab his qui Catholici nominis dignitate, & excellentia gloriantur, inuitis istis scripturarum

sacrarum

ſacrarum cenſoribus,quibus nihil bene ſapit, quam quod nihil ſapit, & cum nihil habeant firmum: aut validum ſatis ad expugnandam noſtræ veritatis arcem, Thraſone neſcio quo iactantiores, quibuſdam locis, ex Pauli Epiſtola ad Hæbreos extortis magnificum ſibi videntur de nobis retuliſſe triumphum, ſed quem ſibi ipſi decernunt. Iam non libet prolixiùs Cacodoxologias eorum morari,quibus inceſsitur hoc ſacrum Chriſti inſtitutum, vnum duntaxat addam. Quod ſi ea quæ Chriſtus fecit à cœna legali,in veteri Teſtamento præcepta,oblationis,& ſacrificij reconciliatorij vim important ad diluendas omnium peccatorum ſordes, iuſſeritque diſcipulis illud in ſui memoriam fieri, proculdubiò fateri neceſſe eſt, illum etiam eiſdem & ſucceſſoribus ſeriò iniunxiſſe pro noſtra reconciliatione, & peccatorum expiatione offerre, quodquidem religiosè obſeruatur in Catholica Eccleſia tum Chriſti præceptoris noſtri inſtructione, tum Apoſtolica doctrina, & quotidie frequentatur per miniſtros ad ſacrum munus ſubeundum deſtinatos,quod ſi ſecus fieret Chriſti mandatum violaretur,& multum ab eius myſteriis deficeremus. Qua de cauſa littus arant hæretici, qui volunt Sacroſanctum Miſſæ ſacrificium defunctis, nullomodo mederi poſſe, cum plus æquo teſtimonia diuina,noſtram tueantur pietatem,& religioſiſsimam conſuetudinem in mortuorum perſoluendis ſuffragiis,quam ab ipſo ſummo ſacrificatore didicimus qui in ara crucis pro viuis & mortuis orauit,& id quod ſatis deſcenſus Chriſti ad inferiores partes terræ,ſicut Apoſtolus ait Epheſeos 4. probat. Non enim deſcendit, niſi ad eos,& propter eos,pro quibus mortuus erat,hácque ratione ſub eius mortis triumpho plurimorum mortuorum monumenta aperta ſunt,& multa corpora Sanctorum qui dormierāt,ſurrexerunt. Et vt perſpicuè intelligamus oblationem pro viuis & mortuis faciendam eſſe in tremendis myſteriis iuxtà Chriſti mandatum obſeruandum eſt,quod cum Dominus præceperit his verbis, *Hoc facite in mei commemorationem*,vt in hoc ſacrificio incruēto viua fieret commemoratio, cruentæ oblationis ſicut Paulus diſertè pronunciat 1.Corinh.11. Quotienſcunque manducabitis pa- Matth. 26.

nem hunc & calicem bibetis mortem Domini annunciabitis donec veniat, consequens est: vt quemadmodum Christus moriendo: non solum *tradidit semetipsum pro nobis* (qui nondum nati eramus) *oblationem & hostiam*, iuxtà Apostoli testimonium Ephesorum 5. verum etiam pro multis aliis electis, qui ab Adamo, vt dictum est, & repetere non pudet, vsque ad Christi seculum obierant, sic nunc quoque faciamus hanc orationem pro viuis & mortuis. Nam postquam dixit Christus, *Hoc est corpus meum quod pro vobis datur*, Luc. 22. quod perinde est, ac si dixisset quod pro vobis Deo offertur in mortem scilicet quæ iam instabat, & quasi præsens erat, imo iam inchoabatur statim addidit. *Hoc facite in mei commemorationem* scilicet *pro vobis* (Siquidē existimandum non est Christum dicere voluisse, hoc facite pro nullis, & ad vllius fructum,) vt illud *pro vobis & pro multis* priùs dictum semper repetēdum sit. ἀπὸ κοινοῦ, id est, à communi quæ est frequens figura in scripturis, zeugma dicta. At verò non dixit Christus pro vobis in terra degētibus, sed pro omnibus illis intellexit hoc esse faciendum pro quibus iam initiatiuè, vt scholasticè loquar, immolabatur. Relinquitur ergò vt sicut nō solum pro viuis mortuus est Christus noster, sed etiam pro mortuis: sic non solum pro viuis sed etiam pro mortuis iusserit offerri in commemorationem oblationis in cruce factæ. Sic (vt rem omnem breuiùs expediam) Aaron inter viuos & mortuos olim stetit medius, incensum & holocaustum pro vtrisq; offerens in Christi figuram qui non modo in cruce fuit viuorum & mortuorum mediator: sed adhuc hodie in cœlo reuelata facie & per ministros Ecclesiæ in diuinis mysteriis offertur pro viuis & mortuis. Qua in re nos & Christi & Apostolorum instituto, tum etiam veterum patrum vestigiis inhæremus. Qui vero negant hoc sacrificium viuis & defunctis prodesse, nolunt Christum iam amplius mediatorem esse pro defunctis: sed tantum fuisse. Sed iam sumus in procinctu ad sacrificium extensis scripturæ velis, & diuini numinis aura probandum.

Num. 16.

Habreor. 9.

Aduersus impotentissimam perduellionum hæreticorum opinionem sacræ scripturæ testimonio Missæ partes accidens

accidentales æquè vnius puræ doctrinæ & Catholici instituti veritati conformes expreſsè docuimus, ſupereſt autem eorum inſaniam ad perpetuos obliuionis ſinus, & originis voragines ablegare, qua ſacrorum omnium euertere nituntur myſteria, & cæcorum more pugnantes illis pro rationibus ſatis ſufficere opinantur, gutture deducto vbique vociferantur nos in exilium Babylonicum miſſos, nec reliquum habere ſacrificium. Quamobrem ne prolixa fatigemur narratione commodè videtur negotium auſpicari ab elementis controuerſiæ, vt probatis Sacerdotibus in Euangelica lege inſtitutis, probetur eorum munus, quod eſt ſacrificare, ſi enim doceamus habere veros miniſtros ad hoc externum ſacrificium ordinatos, quod tantopere negant aduerſarij in hanc ſententiam adigentur, vt permiſſo ſacrifico, ſeu viſibili Sacerdote, inuiti etiam fatebuntur adeſſe ſacrificium, & proinde, & templo, & altari nos minimè carere, & id ſcripturæ ſacræ gubernacula facillimè aſſequemur. Vltimus ſiquidem Prophetarum minorum Malachias accuratam Presbyterorum veteris legis à lege recedentium & Euangeliorum antitheſim conſtituens (inquit) *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam & plebs ex illius ore legem Dei requiret.* Ne autem ſententiæ ſenſus hominum arbitrio detorqueatur multum faciunt verba futuri temporis quæ referri nequeunt ad Moſaicos ſacerdotes, quod & ipſa nunquam patietur Antitheſis. Quamobrem vt aduerſarij ſuffugiant, multa querunt diuerticula, nam Iudæorum כהן (Septuagintis ἱερεὺς, Nobis Sacerdos) Præfectum, ſiue Principẽ interpretãtur, non משרת, id eſt, miniſtrum Dei ſecundùm antiquorum placita, quodquidem natiua & pura vocis eſt ſignificatio teſte Propheta Euangelico Iſaia qui diſtinctè non tantum dixit Sacerdotes Domini vocabimini, ſed addit miniſtri Dei משרתי אלהינו noſtri *dicetur vobis* quod explicatiùs vertit Chaldæus Paraphraſtes *Miniſtri corã Domino* quaſi diceret *Sacerdotes adminiſtrantes hoc ſacrificium coram Domino pro aliis*, vt ſicut peculiarem illorum ex aliorum Chriſtianorum electione, ita ad peculiare, publicúmque pro aliis ſacrificij miniſterium accipere debemus λειτουργεῖν. Sic cum Dominus apud eundem:

Aggreditur Christiani Sacerdotij institutionem, vt iugulentur hæretici qui cum negent nos habere ἱερέας vel ἱερωσύνην nos carere sacrificio volunt.

Malachias.

coen

masheret

mascheret elohinu

Eusebius cap. 24. de sacerdotibus Euāgelicæ legis verba faciēs in persona domini ait, In conspectu presbyterorum glorificabor, & in cōspectu sacerdotum sacerdotes enim vocat Esaias presbyteros sicut scriptura noui testamenti vocat, quod diuino consilio & prouidentia factum est initio Euangelicæ prædicationis ne sacerdotium nostrū propter communitatem nominis aliquid commune cum sacerdotio veteris legis habere à Iudæis existimaretur præsertim cum scirent Iudæi legem & Prophetas à nobis honorari, quin potius nouitas nominis presbyteri nouum genus sacerdotis declararet hæc fuit causa cur in scriptura noui testamenti non tribueretur nomen sacerdotis presbyteris. Vastato vero templo Hierosolymitano nomen sacerdotis frequentari cœpit.

dem vatem dicat se assumpturum ex ordine gentili Sacerdotes & Leuitas non promiscuè omnes fore sacerdotes indicat, sed quemadmodum ex Hæbreis quidam eligebantur ad obeunda pro populis sacrificiorum varia genera, qui regnum Sacerdotale, & gens Sancta priuato honoris priuilegio dicebantur, sic & plebs Christianorum vocatur genus electum, & regale Sacerdotium, quod cum veluti lapides viui omnes appareant ad sacra ædificia, & spirituales necnon acceptabiles hostias offerendas Deo, pariter ex eo veluti ex fructifera stipite decerpuntur quidam ad sacrum ministerium exercendum, qui modo Presbyteri modo Sacerdotes appellati, Euangelicum sacrificium Deo offerunt. Quod si vatis veritas locum non haberet temerè dixisset Paulus, *Vetera transierunt, ecce noua facta sunt omnia*, necesse est enim vt etiam ministerium noui sacerdotij, quod sit ministerium tantum, illi veteri successerit, quod erat similiter ministerium tantùm, alioqui enim quomodo facta sunt noua omnia? nisi extent in Ecclesia qui sunt ministri tantum Sacerdotes, corporis & sanguinis Christi, quæ vna est noui testamenti hostia. In cassum equidem probaret Apostolus antiquam legem in nouam mutatam, eámque perfectiorem in ipsius Christi aduentu veteri cessante Sacerdotio, si lex & sacerdotium dispari pede gradirentur, vel ita dissoluerentur, vt vno translato alterum remaneret, & ideò quo verius mentis acié, & intellectū aperiat, non dicit Ablato sacerdotio necesse est vt lex transferatur, sed verbo vsus aptiore dixit Translato enim Sacerdotio necesse est vt legis translatio fiat. Quoniā pleráque legalia circa Sacerdotij ministerium consistebant, prius autem Sacerdotium profligatum est, nimirum alio in vicem illius inducto, legislationē etiam meliorem in illius locum induci oportuit. Facilè autem hanc litem dirimendam hàc ratione censeo, si fateri velint aduersarij (qui suos Mystagogas à foro & sutrina, vel è popinis & ganea suis Ecclesiis præficiunt) qui merito in literis Noui Testamenti πρεσβυτέρȣς appellentur, quáve ratione toties Apostoli hoc nomine illustrentur, aut saltem Pauli Epistolam probent qui Tito Episcopo Presbyteros per ciuitates

Paul. ad Phile. 1. Petr. 5. Ioan. 1. & 2.

ciuitates constituere præcipit. Actorum pariter 14. Paulus ac Barnabas referuntur à Diuo Luca creasse Presbyteros, χειροτονήσαντες πρεσβυτέρους. Ampliora proferrem, ni vererer prolixitatis tædium, & has negotij nostri bases ab omni ruina immunes conspicerem. Quod si veteris legis Pontifices offerre dona, & sacrificia olim decebat, necesse sequitur nostros, id est Euangelij & gratiæ Presbyteros, quibus id iuris successit habere aliquid ad Sacrificij cultum, quia omnis Pontifex ex hominibus constituitur, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis. Carent autem priscis illis omnibus sacrificiis quæ tauris, hircis, aut bobus fiebant, nec aliud venerantur quàm illud in vltima cœna à Christo institutum, dicente discipulis, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur*, quibus verbis ingens mysteriorum nostrorum celsitudo consistit, vt dilucidè ostendamus Missæ sacrificij dignitatem illis elucescere, cuius quidem omnia veterum sacrificia typum gesserunt, atque vmbra fuerunt vt apertiùs innuit Paulus. Hebr. 8. *Qui exemplari & vmbræ cælestium deseruiunt, sicut responsum est Moysi, cum consummaret tabernaculum*, vide (inquit) *omnia facito secundum exemplar, quod tibi ostensum est in monte.* Sed vt hæc verba clariùs euoluantur hoc modo ratiocinari opus est. Si sacerdotes exemplari & vmbræ cœlestium deseruiebant, igitur & quæ offerebantur & qui offerebāt in veteri Testamento typi erant eorū quę offeruntur, & qui offerūt in Ecclesia Noui Testamenti, quę à Paulo cœlestis Hierusalem vocatur, sicut & per cœlestia intelligenda veniunt, quæ in Ecclesia fiunt. Id si verissimum est, sequitur, quòd sicut Exemplaria cœlestium, id est, vetera, propria sacrificia habebant, quibus mundabantur, ita cœlestia, id est, nos in Ecclesia, habere meliores hostias, quibus mundamur, non enim indiget illa superna, quæ est in cœlis triumphans Ecclesia, mundatione. Age igitur, si negaueris in nouo Testamento externum Sacerdotium eorum, qui Deo externa & visibilia offerūt munera, simul contra Moysem & Paulū negaueris sacerdotium vetus exemplar noui extitisse. Illis enim veteribus sacrificiis successit vnicum ac perfectissimum sacrificium à Christo sacerdote summo institutum in

Heb. 8.

ara crucis immolatum, vbi ſeipſum per manus impiorum occiſum, pro vniuerſo humano genere Deo patri obtulit cum ſanguinis ſui effuſione, quem pro nobis vniuerſis dedit. Neminem autem ambigere puto tria eſſe quæ indiſſolubili & Gordiano vinculo tam ſtrictè coniunguntur, vt ab inuicem nunquam ſeparari velint, legem nimirum Sacrificium & Sacerdotium, Omnium enim mentibus hanc notitiam natura inſeuit, legibus eſſe parendum. nulla lex autem quantumuis barbara, caruit cultu quantumuis extraneo religionis, ſemper habuit ſacrificia, ad conciliandam populis ſupremi cuiuſpiam numinis venerationem nec defuerunt ſacerdotes qui hæc ſacrificia adminiſtrarent, quos ſemper inſigni precio & digno applauſu ſuſpexit antiquitas, ob eximiam officij dignitatem, fuitq; ſemper ſacerdotij ſtatus cæteris honoribus præclarior & fulgidior. Proinde varia ſortiebantur citra popularem gloriam nomina, Nam qui Aegyptiis pręerant Magi, Perſis Gymnoſophiſtæ dicebantur. Galli ante virgineum partum publicè habebant inſtituta ſacrificia quibus Druydū requirebatur opera, ſed de his prophanis, alias Sat mihi eſt quod tribus hiſce rebus, lege ſcilicet, ſacrificio & ſacerdotio pari fronte progredientibus contigit, vt horum vno mutato mutata ſemper fuerint & reliqua. Idcirco Paulus adhuc apertiùs in epiſtola ad Hæbreos ex tranſlatione ſacerdotij à tribu Leui in Iudæ poſteros colligit legem alio quoque eſſe migraturam. Orbis autem infantia Iuuentus & ſenium tribus legibus moderatur, vel enim ſub lege naturali, vel ſub lege ſcripta vel ſub Euangilica, vixit, durauit & floruit, ab Adamo vſque ad Moyſem, lex naturæ viguit à Moſe vſque ad Chriſtum, lex ſcripta à Chriſto autem euangelica lex vſque ad conſummationem ſæculi permanebit, quæquidem non tabulis lapideis data eſt ſed ab Angelo magni Cōcilij Ieſu Chriſto edocta, & ſic tranſlata lege ſcripta in Euangelicam, tranſlatum eſt pariter Sacerdotium cuius eximium decus priora omnia facile antecellit, eo quod Sacrificium aſſequuta ſit, cuius priſca omnia ſacrificia vmbræ & typi fuere, & vt exactiùs dicam, Omnia ſacrificia tempore naturæ & legis ab Abel

Tria indiſſolubilia.

Gallorū Druydes ſacerdotes.

Abel Iusto incipiendo deinde transeūdo per Noë Melchisedeck Abrahā ad sacrificia legalia Aaron & filiorum eius præfigurabant illud vnicum & singulare Sacrificium de quo agimus. Iam liquidò constat nos habere sacerdotes & sacrificos, non quidem ingrato otio, Paganorum simulachris deditos, aut fabulosis gentilium commentis institutos, sed Euangelico sacrificio destinatos cuius iam nos suppetiis cœlestibus fisi aggredimur sacram, & sublimen tractandam materiam, & ne aliqua in re cespitet nostra oratio, primum inuestigare opus est vocis originem, quod enim Hæbreis זבח Græcis θυσία Latinis oblatio siue sacrificium, Ecclesiæ Missa dicitur. Sacrificiū autē putāt aduersarij esse actionem sacrā diuinitus ad hoc principaliter institutam vt nos Deo aliquid tribuamus vel reddamus, quod ei propriè competit, sed duplici vitio hæc sacramenti externi definitio laborat, vnum est quod non conuenit in omnia veri nominis sacrificia, sunt enim quædam ex illis diuinitus nō instituta quandoquidem non instituit Deus, vt populus Dei filios & filias ad sacrificandum vsurparet quin hoc ipsum seuerissimè prohibuit Deuteron. 11. & aliis. Atqui scriptura propriè & planè eiusmodi parricidia nominat holocausta & sacrificia vt 1. Iudic. 11. 4. Reg 3. quæ licet illegitima fuerint tamen sacrificia propriè dicuntur. Alterum est quod in quædam conuenit quæ non sunt verè ac propriè sacrificia. Nam oblationes primitiarum & primogenitorum opera erant ad hoc præcipuè diuinitus instituta, vt Deo soli in recognitionē Dominij redderētur quod & officij genus nō semel scriptura distinguit à sacrificiis Psalm. 49. Ad Hæbreos. 5. Melius ergò definitio externi sacrificij propriè dicti à nostris ponitur, his verbis Sacrificium externum est officium, quo res aliqua ab eo qui ad hoc muneris delectus est hoc ipso Deo offertur quod ad eius maiestatem recognoscendā, atque etiam ad internam mentis deuotionem & seruitutem erga Deum tanquam omnium rerum dominum protestandam certo ritu & ceremonia conficitur, seu immutatur. Sit igitur nobis ab initio istud constitutum omne sacrificium oblationem quandam habere, & vbicunque est mentio Sacrificij

De sacrificio Euangelico.

Zebach *oblatio*

Psal. 103.

Definitio sacrificij.

ficij ex adiunctis indicatur oblationis initio, vt ex antiquorum patrum monumentis colligitur, sic Paulus est testis, Hæbreo. 11. θυσίαν Ἄβελ, προσήνεγκε τῷ θεῷ, id est, Hostiam tulit Abel Deo, & infrà Πίστει προσενήνοχεν Ἀβραὰμ τὸν Ἰσαὰκ, id est, fide obtulit Abraham Isaac, vt autem oblatio sacrificium propriè sit, necesse est rem absolutam aliqua ratione immutari & confici. Propria verò & conueniens huic nostro & Euangelico sacrificio oblatio corpus Christi est, quam ab eodem saluatore nostro facere iubemur, reuocantes in vsum eam quæ in cruce peracta est. Huius sacrificij caro & sanguis ante aduẽtum Christi per victimas similitudinum promittebatur, in passione Christi per ipsam virtutem recolebatur, post ascensum Christi per sacramentum, memoriæ celebratur. Reuertamur autem ad id quod maximè exaggeratur ab hæreticis, & Melchisedec sacrificium verum Christiani sacrificij typum esse probemus, & omnibus naris emunctissimæ hominibus fide duce & veritatis auspiciis facere satis conabimur, vt nobiscum fateantur, Melchisedec τὴν ἡγιασμένην τροφὴν εἰς τύπον εὐχαριστίας sanctificatum alimentum in figuram Eucharistiæ obtulisse. Sententiarum autem congeriem ex 7. cap. ad Hebreos, cap. 14. & Psalm. 109. struemus, & iuxtà fidelem Mosis eximij historiam pensum omne absoluemus. Officium Melchisedecis erga Abraham, satis ipsa scriptura aperit, quod Abrahæ à cede quatuor Regum magno victoriæ triumpho domum redeunti panem & vinum obtulerit, benedixeritque ei, erat enim Sacerdos Dei altissimi. Et regius Psaltes aliquot sæculis post, diuino afflatus pneumate; Christi æternam pariter & temporalem genituram, simúlque sacerdotalem eius functionem describturus huius Melchisedec nomen inferre, & commendare voluit hac eximia Epænesi אתה כהן לעולם על־דברתי מלכי־צדק. *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec.* Hunc Psalmum de se ipso scriptum fuisse asserit summus noster Messias, nec nemo alia ducitur fide. Et Paulus ipse in Epistola quæ ad Hæbreos titulum habet huius Melchisedec, subinde meminit Personati tamen nostri Euangelici sentiant se his authoribus sacrificium Christi asserentibus valdè

Melchisedech panem & vinum offerens Sacrificij missæ typum.

Atah cohen lecholam el libra ti mal kizedek

valdè premi, ſed vt perfidiùs ad perniciem euadant varios comminiſcũtur fraudum cuniculos quo ſe à ſententia Chriſtiana & Catholica illatebrent, & primum omnium miris commentis interpretationem adſiſcunt, pernegant fuiſſe ſacerdotem, nihilque ſacrificio habuiſſe ſimile contendunt. Clamant enim כהן ſatrapam quendam aut præfectum ſignificare non ſacerdotem, quamuis 70. interpretum æditio hanc temeritatem maximè coarguat, cámque nos paulò antea multis teſtimoniis conuincimus. Cúmq; videant errorem parum fœliciter ceſſiſse ad alium inſaniorem confugiunt quod particula *Enim* non rectè ſit addita ab interprete, nos ideo genuina lectione carere querulantur, quia in Hæbraicis neque in Græcis coniunctio ſit Aetiologica ſed Simplectica. Video iis planè contigiſſe quod collineantibus vſu venire ſolet, vt præ nimio conniuendi ſtudio cæci fiant. Præclaro titulo ſeſe plebi, ſibíque deuotis vẽditant, proiiciunt ampullas & ſeſquipedalia verba, quorum proprium eſt talibus apiculis in ſummo religionis noſtræ fundamẽto populum ludificari, Hoc in Hæbreo non habetur, hęc particula, hic apex neſcio vnde irrepſit, fucum ſcilicet vt faciant imperitioribus, qui abſque vocum examine facillimè deluduntur. Cęterum vt hoc diſpiciamus quod illi obiiciunt, facilè eſt hoc conuincere, vel primis ſacrę lingue elemẽtis imbutis. Aſſentior in Hæbreo, ita legi והוא כהן לאל עליון, id eſt, *Et ipſe erat ſacerdos Dei altiſsimi.* Sed cui non cognitum eſt quamque linguam, ſuum habere idioma loquendi, quo libenter vtitur? Eſt ergo familiare Hæbreæ linguæ vſurpare, והוא *Et ipſe* pro *ipſe enim.* Sic namque in Pſalmo Dauidico legimus, אשר לו הים והוא עשהו Et ſeptuaginta rectè ſic verterũt, ὅτι αὐτοῦ ἐστὶν ἡ θάλασσα καὶ αὐτὸς ἐποίησεν αὐτήν, id eſt, *Quoniam ipſius eſt mare & ipſe fecit illud.* Alij tamen ſic legunt, *Cuius eſt mare, ſic enim fecit illud.* Rurſus alibi הבה לנו עזרת מצר ושוא תשועת אדם quod ſeptuaginta ſic verterunt, δὸς ἡμῖν βοήθειαν ἐκ θλίψεως καὶ ματαία σωτηρία ἀνθρώπου, id eſt, *da nobis auxilium de tribulatione, & vana ſalus hominis*, alij tamen ſic legunt, *da nobis auxilium in tribulatione*, vana eſt enim ſalus hominis, vel *quia vana ſalus hominis.* Et ſunt loci innumeri in

Vehua cohe lechol helion

Geneſ. 14.

Aſcher lo haym vehua haſo hu

habah lonu chezrer mitzor veſchare teſchuath adam

sacra lingua, quos huc afferre,* necesse non est. Præterea quidem Sanctus Dauid sciens nihil infœlicius esse fœlicitate peccatorum qui se fœlices putãt cum à Domino non reprehenduntur, summo affectu castigari postulat, his verbis, *Ad te Domine clamabo Deus meus ne sileas à me, ne quando taceas à me &* id est quia *assimilabor descendentibus in lacum*. q.d. Actum est de me si negligas delicta mea corripere, quia similis ero hominibus descendentibus in Orcum. Pudet ergo pigétque profectò talium rabularum, quos linguarum imperitia, quo tamen nomine plurimum se vulgo commendant, in tam sacrilegos precipitat errores. In hoc ergo scripturæ cardine fides nostra, & optima interpretatio versetur, vt sponte assentiamur, non tantùm hac sententia *Erat enim sacerdos Dei altissimi* reddi causam cur oblationem fecerit, sed præterea ex ea maximè rei speciem & causam aperiri, cur tale panis & vini sacrificium ilis temporibus non tam vulgare fecerit. Neque enim à quoquam multũ dubitari poterat, cur vir Princeps, Rex & Paterfamilias sacrificaret, cũ id reliqui omnes patriarchæ, & hic ipse Abraham sæpius fecisset. In causæ enim redditione, non tantum dicit quia Sacerdos fuit, ad innuendũ cur simpliciter sacrificauerit, sed addit *sacerdos Dei altissimi*. quod apud Hæbreos in sacra scriptura habet ferè aliquid singulare, & significat aliquod excellens officium circa filium Dei respectu æterni patris, qui ferè nomine altissimi intelligitur, vt Luc. 1. *Virtus altissimi obumbrabit tibi*, & ibidem *filius altissimi vocabitur*, & in Cantico Zachariæ de Ioanne. *Tu puer propheta altissimi vocaberis*, &c. vt illa appellatio non solum excellentiam in suo genere denotet, sed aliquod peculiare officium in mysterio geri, quod postea ab ipsos filio Dei obeundum sit, erga æternum Patrem suum. Ex quo planum est, non solum Sacrificij in communi causam reddi, sed illius maximè quod in pane & vino constituitur. Ista profectò Hæreticorum commentorum certissimam & acutissimam habent securim, Sed ipsi insolentiores indies euadunt, nouósq; cuniculos sibi fabricãt. Aiunt enim scripturã fateri Melchisedech protulisse panẽ & vinum, nullamq; hic fieri oblationis mentionem, neque sacrificij

* Lucæ 2. Benedicta tu, In Mulieribus Et Benedictus fructus ventris tui, idest Ideò tu Benedicta quia fructus ventris tui benedictus. Ioa. 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine eius, *Confestim pro ratione adiecit* Et verbum caro factum est *Ac si diceret Ideo illi filij Dei qui credũt in nomine eius quia verbum caro factũ est.*

ſacrificij. Nõ inficior Hæbreos legere הוציא לחם ויין, vt ſit Hostia lechem vaiain.
הוציא Hiphil à verbo יצא, id eſt, fecit vt panis & vinum offerretur, & ſeptuaginta legunt ἐξήνεγκεν ἄρτους καὶ οἶνον, id eſt, *Extulit panem & vinum.* Et tametſi vox quæ hodie habetur apud ſeptuaginta ἐξήνεγκεν non tantũ offerre quam efferre ſignificet, tamen ſic effertur vt potius ad oblationem quam exportationem vergat. Sed nihil eum prohibet panem & vinum protuliſſe, & tum Deo ſacrificaſſe, vt ſcilicet victoriam illam Abrahæ opera partam, Deo referret acceptam. Quod ſi Deo ſacrificaſſe pertinaciter negamus quid attinuiſſet Moyſem huius Melchiſedec ſub Sacerdotis nomine ſemel duntaxat in omni ſuo opere mentionem feciſſe, niſi eundem etiam ſacrificaſſe credere nos vellet? Et quidem Melchiſedec geminam ſuſtinuit perſonam, & regis & Sacerdotis: Vt ergo regni ſedes & regia vrbs fuit Salem, ita Sacerdotij eius hoſtia & ſacrificium fuit panis & vinum Neque enim credibile, vel phas fuit, cum regni ſolium enunciaſſet, vt ſacerdotij hoſtia taceretur, cum ſacerdotium ipſum longè ſit regio ſceptro auguſtius. Sed hinc *Sacerdotii dignitas regia augustior.*
excluſi ſectarij, alias moliuntur fraudum tendiculas, & blaterant Melchiſedech, ideo protuliſſe panem & vinum vt Abrahæ & copiis eius commeatum ſuppeditaret, exercitúmque eius fame & inedia delaſſatum refocillaret. Scilicet, poſt tam opima ſpolia, poſt tantas exuuias ab hoſtibus deuictis deportatas, Abraham neceſſe habuit mendicare panem & vinum à Melchiſedec, ne deficiant milites. Et Abraham non inuenit quò diuertat, niſi ad Sacerdotem Dei altiſsimi. Et Melchiſedec ſtatim in parato, & ad manum habet, vnde trecentos decem & octo milites (nam Loth & eius exercitum non numero) pane & vino alat. Melchiſedec etiam ab Abraham decimas accepit. Et Abraham reduxit omnem ſubſtantiam, & Loth fratrem ſuum cum ſubſtantia illius vt non fuerit neceſſe illum Hebr. 7.
quaſi emendicato pane viuere Idem & ipſe fatetur cum Regis Sodomorum liberalitatẽ aſpernaret, dicẽs iuuenes ſuos milites iam comediſſe, & ſaturos eſſe. Et quoniam de nullo alio Sacrificio Melchiſedeci Sacerdotis altiſsimi legimus, neceſsitas ipſa vrget; vt panem & vinum ab illo

oblata esse intelligamus. Quod si in eo loco scripturæ non sacrificauit cum proferens panem & vinum benedixit Abrahæ, dicendum erit maximè ab illis qui nihil admittunt nisi ea quæ expresse vel equiualéter reperiũtur in scripturis, nunquam sacrificasse, & temerè nomen sacerdotis sibi vendicasset, *cum omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur, vt offerat sacrificia pro peccatis*, quia tacitum sit in scriptura aliud sacrificium, sicut ab omnibus dicitur sine Genealogia & initiò, ac fine dierum carere, igitur in illo Geneseos loco cum alius non extet, sacrificauerit necesse est. Præterea si nõ prætermisit scriptura eorum sacrificia ante Melchisedec, quos neque nominauit quidem Sacerdotes, vt Abelis, Noë, Abrahæ, Isaac, Iacob, & postea Iob, quomodo prætermiserit Sacrificium Melchisedec, quem Sacerdotem Dei altissimi nominat? Quomodo hæretici hæc eludẽt aut cum aliqua specie rationis in eis tergiuersari poterunt? Videamus igitur de similitudine ipsius Sacrificij Melchisedec, quod Sacrificium isti, etsi in mille formas se induant, & vt est in fabulis Protæi fiant effugere non possunt. Similitudo enim Sacerdotij Christi cum Sacerdotio Melchisedec omnibus apparet, quia ab Apostolo signata & expressa est, quæ in eo consistit, quod Melchisedec *nec initium dierum neque finem habens, assimilatus filio Dei, manet sacerdos in perpetuum*, sic Dominus Iesus semel se offerens in cruce ad multorum exhaurienda peccata, morte interueniente non desinit esse sacerdos, semper viuens ad interpellandum pro nobis, verum hæc similitudo Sacerdotij Christi cum Sacerdotio Melchisedec, hactenus non efficit ex toto, vt dicatur, & sit Christus factus Sacerdos secundùm similitudinem Melchisedec, vt Apostolus ait, nisi appareat etiã similitudo sacrificij Christi cum sacrificio Melchisedec Sacerdotis, præsertim cum magis ad rationem Sacerdotis ratio sacrificij, quam ratio perpetuitatis pertinere videatur. Atqui certè sacrificium Christi in cruce cruentum cum Sacrificio Melchisedech ex pane & vino, quæ cibus & potus incruentus sunt, non habet similitudinem, quam habet idem ipsum sacrificium alio modo, scilicet incruentè, sub specie panis & vini

Melchisedech sacerdos. Hebræor. 8. Hebræor. 7.

vini factum quod Deo offerens dedit Christus discipulis dicens, *Accipite & manducate, hoc est enim corpus meum*, quodquidem & nos cum accipimus à Deo benedicimur, sicut Melchisedec in typum mystici panis futuri præbēs panem Abrahæ, *benedixit ei.* Quemadmodum ergo ille qui sacerdos erat gentium, nusquam videtur corporalibus sacrificiis functus, nisi vino solo & pane, dum ipsi Abraham benedicit, ita sanè primus ipse saluator, ac Dominus noster, deinde, qui ab ipso præfecti sunt Sacerdotes in omnibus gentibus spiritale secundùm Ecclesiasticas sanctiones sacerdotij munus obeuntes, vino ac pane, benedictis & consecratis in corpus & sanguinem Christi similitudinem Sacerdotij Melchisedech adimplent. Hæc est vtriusque gentis sententia, sic Hæbræi, sic Græci, Latinique crediderunt oblata fuisse panem & vinum, nec eam rem vero Sacrificio caruisse, quò oblationis Christianorum gereret imaginem. Deinde cum in confessio sit inter ea qæ ad Sacerdotij functionem pertinent sacrificiorum oblationem vel primas ac præcipuas obtinere partes, insignitæ cuiusdam dementiæ fuerit dicere Christum vel non obtulisse vel illius ordinem sacrificio aliquot non expresśisse. Si autem in sacro Missæ, vt sophisticis argutulis placet nihil aliud quam panem ad comedendum & potum discipulis dederit, omnibus aliis rationibus ad sacrificij maiestatem pertinentibus exclusis, qua in re dicitur esse *sacerdos secundùm ordinem Melchisedec*, quem tamen non minus quam corpus vmbram, veritas imaginem excelluit? Quomodo nomen Mesśiæ sortiebatur, si veteris legis typos, figuras & alia sacramenta non norit nec adimpleuerit? Si tantum Epulum paratum nullis mysteriis, aut sacrificaturæ veritate comitatum obtulit, quis dubitat idem posse præstari patrem filiis, amicum amicis, hærum famulis, hospitem peregrinis, Eleemosynarium pauperibus? Quis autem tam parum in adytis scripturæ versatus audebit ista ad sacrificij complementum referre, aut arbitrari, hæc ne hilum quidem Melchisedecis oblationi pertinere, cum sole clarius meridiano sit ipsum panes obtulisse, & etiam illis sacrificasse iuxtà sacerdotium suum, & quod Christus typo Melchisedec.

illi in nouissima cœna responderit. Quid post tantam lucem desiderari potest? Euangelistæ cum Paulo adeò dilucidè hæc narrarunt, vt omnem dubitationis & litigij ansam destruxerint, in eóque omnes consentiunt quod Saluator noster corpus & sanguinem suum obtulerit in huius sacramenti institutione, cum in panis & calicis distributione discipulis, *Gratias egit, & benedixit.* Sed futiles forsan, & superstitiosas dicent Christum egisse manuum eleuationes, aut fateri cogentur, gratiarum actionem & benedictionem sacerdotalem non pertinere ad sacrificij celsitudinem. Anne sacra verba quibus Christus in hoc sacro munere vsus est minoris erunt energiæ & effectus quam illa Patriarcharum, quæ vel benedicendo, vel maledicendo maximè operabantur, vt de Isaac Iacob & cæteris legimus? Si quis autem oculus, scripturæ radiis veluti ad obtutum candentis solis non conniueat & obstupescat, comperiet quam pulchrè & egregiè huius sacrificij ordo à sacris Euãgeliographis commendetur, nihil superuacaneũ, nihil obscurum, nihilq; quod multum veritatis examini non conferat, additum est. Taceo triclinij apparatum, extremum Christi desiderium manducandi Pascha, Interualla & discrimina primæ & secundæ cœnæ, pedum Apostolorum lotionem, prolixã & eximiam Homeliam, qua consolatus est discipulos, & alia quamplurima quæ pro sacro preparando sacrificio & sacramenti institutione leguntur.

Aduersarij nostri qui sacram scripturam pro opinionum confusione dilacerant ferre non potuerunt, Benedictionem cum gratiarum actione quamquidem ex textu Euan-
1. Cor. 10 gelico reiecerunt, ab Apostolo tamen mirè notatam. Sed quomodo fieri potest, vt in hoc augustissimo sui corporis sacrificio Christus summus sacerdos, secundum ordinem Melchisedech potuerit sacerdotalis benedictionis obliuisci quam precibus, & feruenti mentis in Deum Patrem eleuatione decorabat, gratiarum actione adiuncta? Ad quid autem hæc? Quibus de causis rogo, præsumitur Christus gratias egisse, nisi pro suæ missionis commodo, pro cursus sui fœlici cõsummatione, pro peccatorum nostrorum ablata sarcina grauissima, pro nostra recõciliatio-

ne, pro

ne, pro voluntatis ardentiſsima Charitate, qua ſuccenſus ad mortem deuincendam morte ſua properabat. Nónne hæc optimè accedunt ſacrificiorum cultui, nónne hæc eò vergunt vt benedictiones & gratiarúm actiones huiuſmodi dignam ſacrificij oblationem comitẽtur? Quod ſi tunc temporis, corpus ſuum obtulerit Deo Patri, ad quod myſterium cætera quæ ſequuntur referenda cenſes? Anne ſuperfluas ceremonias & inutiles noſtræ ſalutis ritus eas appellabis? Quare Chriſtus hæc benedixit? Quare gratias egit, ſublatis oculis in cœlũ, & ea quæ habebat in manibus ſuis in remiſsione peccatorum diſcipulis dedit, dicens, *Hoc eſt corpus meum. Hic eſt ſanguis meus*, ſe ipſum ſub ſpecibus viſibilibus panis & vini præbens? Sed quis ordo ſuſpiceretur adeo conſpicuus in huius ſacræ cœnæ diſpoſitione, ſi Chriſtus benedicto, conſecrato & tranſubſtantiato pane & vino in corpus ſuum, gratiarum actionibus comitibus, aliud quidpiam obtuliſſet tantis non illuſtre myſteriis? Adde quod clariùs Impoſtor & præſtigiator veluti proditus fuiſſet Chriſtus apud diſcipulos ſi eorum deluſis animis aliter quam res habebant feciſſet. Idcirco ne quis per hos ſcopulos obſtinatiſsimas hæreticorum voces audiat, perpendite quæſo concinnam verborum ſeriem. Inter verbum *accepit & fregit*, videtis gratiarum actionem includi, inter *accipiens*, & *bibite ex hoc omnes* pari paſſu gratiarum actio myſteria illa comitatur, vt cognoſcamus gratiarum actionem referri ad Deum, & benedictionem referri ad panem & vinum, & paucisſimis verbis id effici, nempe his verbis, *Hoc eſt corpus meum*, quod alioquin eſt creditu difficillimum. Hanc noſtram veritatem & ſecuritatem ſi conferas cum ſacra Euangelij lectione nihil diſcriminis adeſſe comperies. Sic enim inquit Hæbreus ille Apoſtolus & Euangeliſta Matthæus. *Cœnantibus autem eis accepit Ieſus panem, & benedixit, ac fregit, deditq́; diſcipulis ſuis, & ait, Accipite, & comedite. Hoc eſt corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit & dedit illis, dicens, Bibite ex hoc omnes. His eſt enim ſanguis meus Noui Teſtamenti qui pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum.* Adſtipulantur cæteri Euangeliſtæ huic verſioni communiori & explicatiori, ad eámq; ferme ſententiam

Paucis verbis res maxima efficitur.

omnes

omnes vltimam cœnam describunt. *Accepit Iesus panem* (inquit Marcus) *& benedicens fregit, & dedit eis, & ait, Sumite, hoc est corpus meum. Et accepto calice gratias agẽs dedit eis, & biberunt ex illo omnes, & ait illis, hic est sanguis meus Noui Testamẽti, qui pro multis effundetur.* Lucas non solum futurum tempus effusionis sanguinis Noui Testamenti pro multis indicat, sed ait: *Accipiens Iesus panem: & gratias agens fregit & dedit, dicens, Hoc est corpus meũ quod pro vobis datur.* Quibus verbis facile patet cum gratiarum actione & benedictione oblationem etiam subesse Sacri ergo scriptores qui verissimam huius excelsæ cœnæ historiam scriptis mandare meruerunt, quemadmodum accepto pane referunt Christum dixisse, Hoc est corpus meum, & addidisse quod pro vobis frangitur, vel datur, ita quoque de calice narrant, Christum dixisse, Hic est sanguis meus Noui Testamenti vel, Hic est calix nouum Testamentum in meo sanguine & addidisse qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum, vel qui pro vobis fundetur. Quorum testimonio liquet Eucharistiam siue missam, simul esse sacramentum & sacrificiũ, vt offertur sub speciebus panis & vini. Ex hoc enim quod Christus sanguinem suũ, sub speciebus panis & vini discipulis dedit, manifestum est Eucharistiã esse Sacramentum. Quod autem addit, qui pro multis siue pro vobis effunditur, indicat eam esse Sacrificium. Quum igitur Apostoli eundem sanguinem sub specie vini sumpserint in cœna, quem Christus effudendo obtulit in cruce & Sacerdotibus iussum sit, vt idem faciant, quod ipse fecit, sequitur proculdubio, Eucharistiam non tantum esse Sacramentum, sed etiam nouæ legis verum Sacrificium à Christo institutum. Inuitis itaque Hæreticorum bestiis Cornupetis, sacra & diuina nostris effulget veritas scriptis quæ etiam splendidior apparebit si perspicaciùs singulas quaslibet dictiones Euangelistarum de hac sacra cœna examinauerimus, in qua omnes penè partes sacrificij elucescunt. Primò Sacrificij preparatio, his verbis, *Accepit.* Secundò benedictio, his verbis, *Benedixit*, vel benedicens, vel iuxtà textum Pauli calix benedictionis quem benedicimus. Tertiò Mactatio sacrificij, his verbis, qui pro vobis effundetur

Mar. 14. Luca 22. 1. Corinth. 10.

effundetur. Quartò oblatio cum legitur, *Quod pro vobis traditur*, vel quod pro vobis datur. Quintò participatio & distributio adstantibus *Comedite, & bibite*. Postremò Oratio his verbis, Hymno dicto. Dilucidè expediui quibus oportuit ordinem verborum sacræ cœnæ, maxime iudicare sacrificij cultum, quem nemo optimæ sortis nisi male audire velit, apud omnes veritatis studiosos negabit. Explicatius autem quicquid loquimur apparebit si intellexerimus, tunc temporis in sacrificio & oblatione Christum vsum fuisse tempore præsenti, vt legitur apud Lucam & nostri aduersarij verba illa accipiunt, *quod est datum, qui est effusus*, sed salubrius interpretationi consultum esset, si secundum Græcam versionem haberet *qui effunditur, quod datur*, ad euitandā vocum obscuritatē, quia ista sunt tātum præsentis temporis, illa verò indeterminata & infinita vtrique coniungi possunt. Perfectam huius argumēti glaciem, insequamur. Velim autem hæc accuratius inuestigari. Si enim vel cæco perspicuum est Christum dedisse corpus suum sub specie panis, & sanguinem sub vini specie eúmque effusum dicat, sequitur quod ad vnum certum finem vtilem deueniant, vt alicui, & propter aliquem id beneplacitum censeatur, alioquin nemo frangit aut tradit corpus suum, & effundit sanguinem, nec sponte & liberè animam suam exponit, qui certo finis & scopo commodo nō ducitur. Nec puto quempiam dubitare de finali causa huius mysterij, *Pro vobis* (inquit Christus) *& pro multis in remissionem peccatorum*. Non enim solum pro Apostolis huius sacræ cœnæ primis conuiuis, sed etiam pro aliis multis effusus est. Lucas siquidem testatur Dominum dixisse, *Hic est calix Nouum Testamentum in sanguine meo qui pro vobis effundetur*. Matthæus verò & Marcus scribunt Dominum dixisse. *Hic est sanguis meus Noui testamenti qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Sunt enim & ipsi Apostoli in hac multitudine, pro qua sanguis Christi effusus est. Et pro omnibus quidem effusus est, quantum ad efficatiam. *Factus est enim obtemperantibus sibi causa efficax salutis æternæ*. Adeò vt hoc idem sacrificium expurget peccata, & egerrimæ conscientiæ æstimare debeant paratum sibi esse

Marginal notes: τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον. — τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. — Lucas 22. — Matth. 2I. — Marci 14. — Hebr. 5.

in altari Catholico Pharmacum,vnde ſanentur.Et quidem quod attinet ad iſtud negotium , qui hactenus contra hæreticos dimicarunt , his pugnant argumentis validiſsimis quod in ipſis myſterij formis dicatur. *Hoc corpus quod pro vobis frãgitur,& hic ſanguis qui pro vobis funditur*,quibus verbis liquidò declaratum voluit Legiſlator , oblationem iſtam conducere ad obtinendam peccatorum remiſsionem. Eò veliſque remiſque contendo,vt ſi interroger à quo corpus illud tradatur , per quem ſanguis effundatur, exploratiſsima fide dicam omnia a Chriſto & per Chriſtum fieri. Si quis demum ſcire velit in cuius conſpectu , & ad quem, promptiùs reſpondeo, Illi cuius ſolius eſt remiſsio peccatorum,nempe Deo Optimo Maximo offerri corpus & ſanguinem. Quotieſcunque autem victima & oblatio in remiſsionem peccatorum ei datur , & offertur penes quem ſalus hominum conſiſtit , tunc & illic verè eſt oblatio & ſacrificium , cum igitur ibi offeratur à Sacerdote corpus Chriſti Deo Patri qui authoritate non emendicata delet iniquitates Ezechiele teſte & remittit peccata , ſequitur eſſe Sacrificium , efficax profectò inſtrumentum per quod Chriſti gratia in præſentium animos immenſa Crucis virtus defluit. Vt autem faciliùs ab Hæreticis cauillationibus liberemur , ſciamus Chriſtum corpus ſuum obtuliſſe aut immolaſſe Apoſtolis, & in eorum conſpectu, vel Iudæis,vel Deo patri. Opinari autem Apoſtolis oblatũ fuiſſe , figmentum eſſet , & dilucidè apparet ex eo quod cum dixiſſet, *Accipite, & manducate, hoc est corpus meum*,quo rectè enunciationis iure addidiſſet iterum,*quod do aut offero vobis , aut pro vobis*? Multò aliter ſentit ſcripturæ ratio. Neutiquam enim dicit Chriſtus , offero vobis pro vobis, aut do, ſed vt omnis controuerſiæ differentia conſtitueretur,probè & ſpecialiter aperit pro quibus detur,his verbis. Qui pro vobis effundetur , quod pro vobis tradetur. Sed cui? Deo , qui noſtras exaudit preces , quique ſummus eſt ſacrificiorum moderator. Cui enim obtuliſſet Chriſtus corpus ſuum , quod ſub ſpeciebus elementi in manibus habebat , niſi Patri , in conſpectu cuius ſacras gratiarum actiones emiſerat, & ex quo dependebant ſancti omnes

tanti

tanti mysterij fructus, gratia nimirum & peccatorum remissio? Non deerunt attamen insolentissimi tergiuersatores qui dicent corpus equidem Deo Patri oblatum, sed minimè in cœna fractũ, nec sanguinẽ effusum. Vno verbo huiusmodi susurronum compescere ora potero, si credant Deum præterita & futura æquè vt pręsentia diuinitatis suę oculis intueri, & ideò vidẽs ratum tempus passionis Christi & rem omnem in procinctu congredi, eam ipsam infectam pro facta & adimpleta excipiebãt. Sic Abrahę de filio Immolationem pro Sacrificij executione habuit, sic & Christum incruentè oblatum in cœna Euangelica, cruentum in ara crucis consummandam pro oblato, & passo censuit, futurã enim passionem in instanti oblationis, tanquam præsentissimam præsciebat. Summo marte hæretici ad has rationes subuertendas contendunt. Ne autem in hoc negotio versantibus remoras iniiciant, quatuor præcipua dogmata animaduersionis gratia velim à Catholico lectore notari. *Genes. 22.*

Primum duo complectitur capita, Alterum quod tempus mortis & passionis, Redemptoris nostri præcisè considerandum non veniat quandiu crudelissimas carnificum Iudæorum patiebatur iras, & crucem, sed ab eo die quo plausibili plebis tripudio Ierosolymam ingressus est vsque ad mortis acerbissimæ supplicia peracta, destinatus enim ad illa subeunda, tanquam è vita excisus mortali & temporali habebatur, sic & agnum Paschalem & pleraque animalia sacris mactanda, pro mortuis ab aliis separata dicebantur. Et ideò eius est exorsa immolatio statim post latum Pharisæorum & seniorum consilium de occidendo filio hominis in publicam peccatorum omnium expiationem, quamobrem se iam exulem & profugum mundi huius existimabat, dicens, *Hæc dixi vobis apud vos manens*, & rursus. *Ego non sum de hoc mundo.* Alterum est quod nec congruum nec oportunum extitisset Christum sui tantum oblationem fecisse post passionem, glorioso corpore redimitum, & tam insignia vitæ cœlestis monumenta explicantem, sed decentiùs sacrum mortis diem præuidentem corpus suum tradidisse stupenda & admira- *Quatuor animaduersiones dignissima.* *Luca 24. Ioan. 17*

bili ſpecierum panis & vini conuerſione facta, & rem ſimul cum verbo perfeciſſe firmiſsimè credimus, prout ſacris & inexpugnabilibus verbi operatorij & euidentiſsimis eiuſdem Chriſti virtutibus edocemur, & hinc inde perpetui ſacrificij inſtitutum Apoſtolis communicauit.

Secunda doctrinæ præſentis ratio plurimum habet momenti ad redarguendum citiſsimè effrontem hæreticorum mendacij ſpiritum, qui huius myſterij vſum ad poſteros deuolaſſe inficiantur. Quomodo ergo Chriſti corpus in ara crucis immolatum iuxta tot Prophetarum vaticinia perdurare in terris potuiſſet, ſi ſacrificij noſtri defuiſſet ſanctio? Anne efficacia aut virtute id contingere putatis! O nouum ſubtilitatis acumen. Nos eiſdem vt antea tenebris inuolueremur, veteris enim legis patres his gaudebant. Nec Paulus dicere debuit Hebr. 9. legem habuiſſe vmbrã futurorum bonorum ſed potiùs præſentium bonorum, aduerſúſque D. Pauli doctrinam vetera non tranſierunt nec noua facta ſunt omnia, licet expreſsis verbis 2. Cor. 5. dicat *Vetera tranſierunt, ecce noua facio omnia*, cui ad ſcribit Ioánes, dicens, *Lex per Moyſem data eſt gratia autem & veritas per Chriſtum facta eſt.* Denique Chriſtus temerè Sacerdos exiſtimatus fuiſſet, ſecundùm ordinem Melchiſedec, aut imaginariè, duntaxat ſacrifici ſuſcepiſſet munus aliud quodpiam ſacrificium inſtituens, Pauiſſet tantum Apoſtolos pane & vino, quo pacto Eccleſiæ Catholicæ poſteritas hoc Sacramento Euchariſtiæ priuaretur nec illi proteſtari liceret gratæ mentis pignus in commemorationem boni ſuſcepti erga Deum, ſi hoc ſacro Chriſti arrabone deſtitueretur, qui tumultuoſum futuræ contentionis diſsidiũ hæretica Diaboli diſcordia exoriturũ præuidẽs voluit Apoſtolos, eorúmq; ſucceſſores vt quod ipſe fecerat hoc ipſum etiam facerent. Idem enim corpus ſuum quod ſub ſpecie panis diſcipulis porrexit in cœna, ſub propria ſpecie obtulit in cruce, atque id quod in cœna inchoauit, in cruce conſummauit. Hoc enim ſacrificium ſi rem oblatam ſpectes, adeóque ſi ipſum offerentem, vnum eſt atque idem Sacrificiũ crucis, non alius videlicet Chriſtus, hoſtia & Sacerdos, qui ſuis verbis hoc Sacrificium

conficit,

conficit,& per ſacerdotem miniſtrorum ſuorum manus, hic in terris Deo Patri offert, quemadmodum in cœlis accedit per ſemetipſum ad Deũ ſemper viuens ad interpellandum pro nobis. Sicut enim in cœlis Chriſtus corpus ſuum olim in cruce vulneratum & occiſum,tanquam iuge ſacrificium paternis oculis perpetuò pro nobis exhibet. Ita hic in terris per miniſterium ſacerdotum, idem illud corpus ſub ſpecie panis & vini incruentè offert.

Tertiò,cùm Sacrificium Euangelicum vmbrarum figurarum & prophetiarum antiquæ legis ſit ſcopus,veritas,& perfectio, neceſſe eſt etiam priorum ſubſtantiam in ſe complecti.Horum enim alia ſuccurrebant lapſis per ignorantiam: alia voluntariis & animi conſilio deliberatis peccatis medebantur, Quædam in beneficiorum collatorum commemorationem fiebant. Cætera variis pietatis votis reſpõdent, vt clariſsimè per totum librũ Leuitici docetur. Noſtrum autem hæc omnia in ſe continet, quia priorum perfectio eſt. Meretur, triſtatur, angitur, & turbatur quis, hic ſunt pia cuiuſlibet animæ anxietudinis ſolamina, hoc Miſſæ ſacrificium, perquam idoneum eſt ad non tantum leuiorum,ſed etiam ingentiũ criminum expiationem.Hic finis religioſus & maximus ob quem offerendum ſit,nempe vt gratam mentẽ præſtemus Deo. Verũ quia quicquid eſt donorum, quæ ad corpus vel animum ſpectant, quicquid vel ad virtutem,animorúmque cultum pertinet, vel ſanitatem,opes famam & reliqua id genus, quantum poſtulat ſalutis ratio tuetur & inſtaurat, nobis ex vnicæ crucis meritò profluit, illíque penitus omnia proſpera,& aduerſa quæ ſalutem promouent, accepta ferre debemus: Hinc etiam rationi conſentaneum eſt, vt Chriſto gratias per iſtud Sacrificium agamus, nóſque teſtemur non ingratos. Idcircò vbi patrum noſtrorum vigebat charitas & feruentis deuotionis zelus omnes ad hæc ſacra myſteria ſpei mittebant anchoras, vt votorum compotes efficerentur.Sic & hodie quanuis multum ſit ab antiqua illa deuotione degener mundus, quidam in peccatorum remiſsionem, quidam Euchariſtias ergò,id eſt in gratiarum actionem,vel damni vitati,vel boni accepti, quidam ad valetu-

Sacrificum Euangelicum veteris legis ſacrificiorum perfectio.

Varij Sacroſancti Miſſæ ſacrificij fines.

dinem conseruandam vel restituendam, quidam ad sobolem habendam, vel tuendam, quidam ad laudem & honorem Dei, & cœlestis aulæ sacrarum Missarum solennia venerantur.

Quartum & vltimum rationis caput, inseparabile facit corpus Christi à sacro Missæ Sacrificio, quia vtrumque est institutum vt in cibum detur populo, & vt in sui memoriam offeratur per ministros Sacerdotes & non per laicos Deo. Hæc enim est præcipua Sacrifici intentio sacrificare nimirum & offerre panẽ & vinum consecratum, & distribuere oblationem, corpus scilicet diuinum adstantibus, iisq; qui vel ægritudine saucij, aut aliis causis legitimis ab his sacris mysteriis absentes sunt, qui nihilominus sacro Lyturgiæ fructu nõ frustrantur, & fiũt hostiæ participes in sacra altaris ara mactatæ, per Sacerdotem cuius solius est hæc tremenda mysteria peragere, nec ipsis Angelis, aut Deiparæ virgini aut cuilibet creaturæ datum est hanc admirandam panis & vini in Christi corpus & sanguinem per diuina verba facere demutationem.

Hæc obiter dixisse sufficiat, quo rudes intelligant Christum non semel tantum, sed bis obtulisse corpus suum Deo Patri, sub speciebus panis & vini incruẽtè, & cruẽtè cũ sanguinis maxima effusione in cruce. Vt præclarum typum rei gesserat agnus Paschalis, qui prius offerebatur, postmodum occidebatur, immolabatur, deinde edebatur. Sic ergo quod olim agebatur cum agno typico in figura, agitur iam cũ agno nostro in veritate. Et vt veritas responderet figuræ necesse fuit in vltima cœna Christum verum & immaculatum nostrum agnum, priusquam à discipulis sumeretur immolari, quemadmodum etiam nunc primò immolatur in sacrificio Missæ, deinde manducatur Pascha nostrum immolatus Christus in sumptione & communione. Quod si quis contẽdere velit & pertinaciùs protestari oblationem in ara Crucis factam, fuisse finem horum typorum, sequitur ergo quod Iesus Christus ante quam offerretur manducatus sit, id autem excogitari nequit absq; inpudentissimo mendacio. Sed vt summatim omnia perstringamus nemo verus Christianæ discipulus veritatis

Bis se obtulit Christus, cruẽtè in cruce, incruentè in sacra cœna.

Exod. 12.

aliter vnquam dicere poterit, quod Christus cum de hoc mondo transiret ad patrem, duplicis generis sacrificium obtulerit, vnum quidem vt diximus in cruce cruentum, vbi oblatione corporis sui, & preciosi sanguinis effusione nobis remissionem peccatorum & æternam liberationem impetrauit. Alterum sacrificium istud non cruentũ, sed incruẽtum, recordationis, gratiarum actionis, & laudis oblationis, quale est sanctum corpus & preciosus sanguis eius. Præcepitque vt Sanctissimum illud Sacrificium patri cœlesti iterum atque iterum, ac semper quousque veniat, offerretur. Cum ergo Caluinistarũ phrenesis mitiùs agitata fateatur Christum in cœna consecrasse panem & vinum, Quare negabit eadem etiam ipsum sacrificasse? vtrumque enim relationem mutuam rei communis ad sacrum aliquid intuetur. Sacrificare enim & consecrare nihil aliud innuunt, quam sacram rem facere, & benedicere ac vsui sacro dicare quod quodammodo prius prophanum fuerat. Ab his liquet Sacrificium panis & vini non defuisse, etsi quispiam blasphemet realem corporis Christi & sanguinis eius presentiam non illic extitisse, ex eo quòd oblata sunt Deo Patri. Hinc cauillantur elementa illa Sacrificij deputari, tantummodo ad vsum sacrum cibandi plebem in cœna, & in hoc summam cõsistere mysterij virtutem, non verò ad oblationem dari posse, quod longe secus videbitur si perspiciamus antiquum Sacrificiorum cultum extitisse, vt res oblatæ in Sacrificium gratiarum actionis potissimũ distributę, deinde à singulis comederẽtur, quod clariùs innotescit in typo agni Paschalis qui offerebatur, postmodũ edebatur: & quemadmodum Christus seipsum dedit sub speciebus pani & vini consecratis cibum & potum Apostolis, ita verisimiliùs est eas obtulisse prius Deo Patri species, quas benedictione & inuocatione corpus & sanguinem suum esse prædicauit, eadémque offerre instituit, & edenda distribuit in commemorationem propriæ mortis, atque arrhabonem & pignus nostræ resurrectionis. Cuius quidem rei apertissimè fuerunt veteris Testamenti figuræ & sacrificia. Quid enim clariùs agni immaculati ferentis peccata mundi Sacrificium præsagit, quã agnus Paschalis?

Sacrificare quid.

Typus Sacrificij agnus Paschalis.

Quid

Quid sublimius & consonantius vtriusque sacrificij typis, & veritati refertur? Nam inter omnia legalia Sacrificia nullum aliud fuit relictum, quod adeo expressit ipsum Christum, ac agnus ille Paschalis. Cuius præceptum Mosaicæ legis præcepta omnia antecelluit ceremonialia eorúmque præuium habebat ordinem. Fuit siquidem variis illustre & maximum concomitantiis, quod nimirum primum fuerit sacrificium celebratum à populi Israelitici caterua, à quinquagesimo die, quo lex fuit data in monte Sinai, sicut quinquagesimo die post resurrectionem agni mystici Iesu Christi, Spiritus Sanctus missus est, ad nouæ Euangelicæ legis promulgationem. Et sicut agnus Paschalis fuit primum Sacrificium à populo Iudæorum in illo statu celebratum, & Deo gratum ac acceptum, sic etiam fuit vltimum Sacrificium ab eodem populo in illo statu celebratum, & à Deo acceptum, & hoc in nouissima cœna Saluatoris nostri Iesu Christi in qua, ipse figuram & figuratum simul celebrabat, dans terminum figuris, & vera incipiens mysteria corporis & sanguinis sui celebrare, vt ea quæ in lege figurabantur, in Euangelio, ipsa virtute terminarentur. Possent ad eũdem modum vniuersa libaminum & omnium Sacrificiorum veteris Testamenti genera cum hoc Sacrificio conferri, sed prolixiora huiuscemodi omnia missa faciam, vt citius properemus ad sacra Prophetarum vaticinia discutienda, quæ quidem nemo vecors & stupidus adeò negare potest, quin à parte nostra stent, sententiámque nostram (quæ scripturæ sacræ sententia est) omnibus confirment.

Ille qui in illustrationem typi huius sacrificij dixit. *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec,* eadem fermè huius argumenti cecinit Psalmo 21. qui in persona Christi in cruce suffixi conscriptus est, & ab ipsomet Christo in cruce recitatus. *Vota* (inquit) *mea reddam in conspectu timentium eum, edent pauperes & saturabuntur, &c.* Qui sepiuntur calamitatum aggere, qui innumeris vexantur, afflictionum turbinibus, quíve duris fortunæ conditionibus opprimuntur vota edere solent offerendi sacrificij, ita Christus ait se vota edidisse, quæ vellet coram toto populo

fidelium

fidelium Deo reddere: atque sic reddere, vt de oblatis ederent pauperes, humilésque corde, & saturarentur, manducarent etiam & adorarent pingues terræ, Principes, inquam & diuites. Nullum certè votum post mortem suam reddidisse legitur Dominus, quàm Sacrificij Missæ, quod per vniuersum terrarum orbem in conspectu timentium Deum offertur, & à pauperibus æquè atque diuitibus manducatur. Hæc diligens lector in sacris Psalmographi sædulo subnotauerit de re hac tota, quam optimè statuet, & cum fidei luce hæc ad sacrificium incruentum commodè referre iudicabit.

Locus Isaiæ superiùs introductus satis conspicuus in huius Sacrificij testimonium apparuit quam vt repetitione egeat, summatim quādoquidem ministrorum Eangelicorum Sacrificium & oblationem edocet, sed alius nobis superest, quem ortodoxæ fidei consensus multum facere censet ad nostri argumenti tuitionem, nec illum pigebit primum in ordine Prophetarum adducere, qui primus & potior est in exploratissima veritatis inquisitione. Sic ergo loquitur. *Holocausta eorum & victimæ eorum placebunt mihi super altari meo*, & hoc summi Dei mandato, qui de altari spirituali cordis, neque de altari cœlesti & inaspectabili dicit, sed de visibilis Ecclesiæ altari visibili, cuiusmodi habetur in sacra Catholicorum Ecclesia, adeò vt facili iudicio consequamur vatem de holocaustis & victimis quæ cernuntur loqui, quas hic dixit Christus Prophetico ore placere, scilicet Deo, super altari suo, sicut dixit Beatus Petrus, Hostias spirituales acceptabiles Deo per Iesum Christum. Interpretentur pro mentis vertigine quantum volent cauillatorij hæretici hunc locum ex quo nihilominus exorietur Lucifer veritatis nostræ, & sacrificium cum altari & oblatione, quemquidem si sædulo & sagaciter expenderit Catholicus mirabitur quantæ malitiæ sint qui verum propriúmque Sacerdotium cum proprio Sacrificio ab Ecclesia nostra tollere minantur, & armis, & verbis. Sed iam ad alteram Prophetiam euehamur.

Ezechiel cap. 37. in persona Domini scripsit. *Et disponam testamentum pacis, testamentum æternum erit cum eis, & fun-*

dabo eos & multiplicabo eos, & ponam sancta mea in medio eorum in perpetuum. Hoc dicit de Sacramento Eucharistiæ, quod clariùs declarat subiungens. Et erit tabernaculum meum in eis, & ero eis Deus. Quid autem intelligat per *Sancta* Ecclesiæ Catholicæ cultus perpetuus, ostendit esse sacramenta corporis & sanguinis Christi in sacrificio Missæ, vt & Paulus aliquoties recensuit. Act. 13. cap. 34. cum dixit. Quod autem (inquit) suscitauit eum à mortuis non amplius reuersurum ad corruptionem, ita dixit, Quia dabo vobis sancta Dauid fidelia. Hæc itaque sancta dicuntur, & sunt tabernacula à Propheta modò decantata, quod summam nobiscum vnionem per communionem corporis eius significat. Promisit enim Christus eos qui carnem & sanguinem eius comedunt manere in eo, & seipsum apud eos mansurum perpetuò quia vt idem Apostolus
Psal.15. dicit, Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. Nos ergo non fallimur intelligentes cum Paulo exponete
Heb.9. *Colos.1.* Ezechielis, & Amos vaticinium per tabernaculum corpus Christi, quod in eo habitet, omnis plenitudo diuinitatis. Et bene ait cum hominibus, nam ipse Christus de seipso
Prou.8. ait in Prouerbiis Salomonis Deliciæ meæ sunt esse cum filiis hominum. Cùm autem Deus Pater promittat tabernaculum suum fore semper cum hominibus, & per tabernaculum Christus intelligatur, apertè concluditur Chri-
Matth.28. stum in perpetuum esse in Ecclesia sua futurum. Id quod ait ipsemet Christus apud Matthæum, Ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi, & id concinnè & verè intelligitur de Sacramento altaris.

Nunc ergo audiamus Hieremiam Prophetam à Paulo adductum. Ecce dies venient, dicit Dominus, & consummabo super domum Israel, & super domum Iuda testamentum nouum, &c Quem locum nonulli inter hæreticos minimè gregarij suo errori distorserunt, & verba Prophetæ mentis suæ prauissimæ propugnacula facit. Ex quibus contendũt apparet quod Testamentum quod Spiritu constat, & in corde ac mente internè ab ipso inscribendum est, quod perficere potest, vt nulle amplius altero & externo indigeamus, eóque omni ex parte irreprehensibile

bile, eius sacerdotium & facta ab ipso sui ipsius in ara crucis oblatio, sanguinísque eius pro peccatis nostris effusio, intercessio sint & meditatio & Sathanicam seminandi atque continuãdi istius parricidialis schismatis stropham. Videte quomodo cruce Christi velint omnia mysteria vitæ eiusdem promissionésque factas Ecclesiæ suæ dilui. Porrò licet Deus dederit hoc modo leges suas in mẽtibus hominum & scripserit eas in cordibus eorum, non atramento (vt Apostolus ait) sed in tabulis cordis carnalibus, hinc tamen non consequitur, vt nullius ampliùs alterius & externi indigeamus, cultus moderamine. Nam si nullius ampliùs alterius & externi indigemus, cur Christus septem Ecclesiæ Sacramenta, id est formas visibiles inuisibilis gratiæ instituit? quare nos iussit in hoc Sacrificio memores esse passionis suæ? Cum ergo Hieremias dicat nouum fore pactum, nouum testamentum, nouam legem, nouum populu, nouámque Ciuitatem, à qua non separetur Dominus, manifestius vt nihil supra significat durationem perpetuam noui Sacrificij secundum ordinem Melchisedec, quo quidem in posterum voluit adorari.

Audiamus iam tandem Oraculum Danielis quod citius quam prædictum sit adimplere, conantur hæretici, dum sacra funditus euertunt, templa solo adæquant, & omnia pietati & venerando Dei cultui dedita prophanãt, Antichristi tumultuosi præcones. Eligentur (inquit Propheta) & dealbabuntur, & quasi ignis probabuntur multi, & impiè agent impij, neque intelligent omnes impij, porro docti intelligent. Et à temporè cum ablatum fuerit iuge Sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille, ducenti nonaginta. Quod quidem tempus Antichristi innuit, vt idem Daniel 8. & 9. cap. prædixit, Iudæorum desolatissimam, præcipitémque ruinam sub Antiocho Epiphane & Vespasiano Romano Cæsare. Sed furentes impetus aduersus hoc iuge sacrificium aperiens in visione sua dicit se vidisse cornu modicum, quod postea factum est grande contra meridiem & contra Orientem, & contra fortitudinem. Et magnificatum est vsque ad fortitudinem cœli, & deiecit de fortitudine, & de stellis, &

Hæretici Antichristis præcursores.

conculcauit eas. Et vſque ad principem fortitudinis magnificatum eſt, & ab eo tulit iuge Sacrificium, & deiecit locum ſanctificationis eius. Robur autem datum eſt ei contra iuge Sacrificium, & propter peccata proſternetur veritas in terra. Ecce vt viam parant Antichriſto qui iuge Sacrificium Miſſæ abrogant, aut explodere conantur, non ſolum ipſiſsimos ſeſe Antichriſti præcurſores conſtituentes, verumetiam eum Sacrilega verbi Dei vſurpatione oppugnant, in hoc omnes corporis & animi neruos intendunt. Cùm enim longæua temporis præſcriptione iam inde à Chriſto paſſo hoc Sacramentum & Sacrificium ſemper fuerit, & permanſurum ſit vſque ad lugubre tempus illud finis & occaſus orbis, donec reuelatus fuerit homo peccati qui hoc ſacrificium tollet, nónne ſeſe Satrapas & proceres in ſatellitio Antichriſti conſtituunt, pugnant quoque cum verbo Dei quia cum habeamus expreſſum verbum Dei, Sacramentum ſiue Sacrificium hoc frequentandum & celebrandum, vſque dum veniat, & ipſi contra tam apertum Dei verbum, idipſum abolere contendunt? Nónne ſeſe verbo Dei præualere poſſe exiſtimant, dum quod diuino præcepto factum eſt perpetuum ipſi conantur efficere temporarium?

Quod autem Danielis Prophetiam ineptiſsimè & falſiſsimè clamant nō de Sacrificio Miſſæ, quod Antichriſtus poſtea deleturus ſit intelligendam eſſe, ſed ad literam quidem de toto cultu Leuitico per Regem Antiochum Hieroſolimis olim euerſo, ſignificantiùs edocetur à capite ſtatim præſagij vbi Propheta certis & veriſsimis circunſtantiis tempus futurę cladis denotat. *Veniet (inquit) tempus quale nō fuit ab eo ex quo gentes eſſe cœperūt vſque ad tempus illud. Et in tempore illo ſaluabitur populus tuus: omnis qui inuentus fuerit ſcriptus in libro. Et multi de his qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt alij in uitam æternam, alij in opprobrium.* Cum autem inueſtigaſſet angelum Daniel quandiu hoc tempus duraturum eſſet, tale accepit reſponſum. *Quia in tempus & tempora, & dimidium temporis.* Et poſt pauca exponens quantum ſpacium temporis per Tempus & tempora & dimidium temporis intelligeret, tum etiam quando id ſpacium

cium fluere incepturum esset, subiunxit. *Et à tempore cùm ablatum fuerit iuge sacrificium. & posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille, ducenti nonaginta,* qui conficiunt annos tres cum dimidio circa quod temporis curriculum Antichristi furores exorientur, atque eius spatij tribulationúmque, quæ in illud incidunt, initium tunc futurum significat quando & sacrificium ablatum & abominatio fuit in desolationem posita, atque nullum alium tale Sacrificium solenne, singularique malitia ab Antichristo abolendum habuit aut habitum est in Ecclesia, sub mundi finem, præter hoc Missæ Sacrificium iuge omnibus nationibus, vnum atque augustissimum. Qua in re maxima Hæreticorum Phrenesis & insania crebrius sua interualla repetens apparet qui Antichristi nomine Pontificem Romanum intelligunt, cuius solium & sedes non tribus annis cum dimidio constat, aut durauit, sed ab initio nascentis Ecclesiæ à Christo capite, singulari successionis ordine perdurauit, & ab Apostolis, omnibusq; fidelibus venerata est.

Ioan. Apocal. 11.
1. Thess. 3.
Hæreticorum somnium falso in Papam inuentum in ipsos Hæresiarchas reÿcitur.

Nec est quod miremur si plures minus huius mysterij virtutem percipiāt cū solis doctis de lata sit illud intelligēdi facultas, à qua multū deuiarunt Nouatores, qui ingenij hebetudine præclarè pollentes, nihil intelligunt, quàm quod intellectum non capit, quos Diuus Paulus à doctrinæ suæ auditorio in harum rerum dilucidatione expellit, *seq; sapientibus & prudentibus verba facere protestatur.* Docti ergó ex Danielis Prophetia facile colligunt Euangelicum nobis superesse sacrificium aduersus quod filius perditionis Antichristus maximo & audaci insultu insurget.

1. Cor. 10.

Nemo tam multum ignorantiæ conscius audebit interpretari illud sacrificium iuge de sacrificio communiter dicto Iustitiæ & bonorum operum aut magnificationis diuinæ gloriæ per prædicationem. Habenda est ergo sacrificij cuiuspiam externi celsitudo Antichristo ipsi odiosa, de qua non frustra vaticinetur Daniel. Atqui vt omnibus compertum est præter eximium sacrificium Missæ, quod iugi memoria passionis Christi colitur nullum aliud sacrificium externum sibi vendicauit aut adscripsit Ecclesia, nec vnquam vsurpabit aut vsurpatura est, cum sit iam

 ad

ad eam formam perducta quæ in Prophetis & lege cum primis fuit præſcripta, hoc ipſum igitur eſt illud ſacrificiū ad quod pertinet Danielis Oraculum. Cùm hæretici videant nulla incude retundere poſſe hoc argumentum, irrident noſtram temporum ſolertem ſupputationem quam ab ipſo Angelo tenemus, & futurum hoc modo dicant vt ab eo tempore quo ſit per Antichriſtum hoc ſacrificium abditum præſciant homines nouiſsima mundi finis interſtitia & de recondito vltimo diei aduentu multa augurentur. Sanè non recedit adeo ab humana mente illius tēporis cognitio, vt aliquando præcedentibus ſignis in ſcriptura deductis pręuidi & præſciri nō poſsit, haud quidem omninò determinatè, qui ſit futurus dies poſtremus ſed inſtare illum iam certè. Quod & Paulus apertiùs prænunciaſſe videtur, monens populum Theſſalonicēſem ne terribili, aut formidabili huius finis pauore concuteretur, quaſi tunc in procinctu & pro foribus eſſet dies Domini, ſubiunxit, *Quoniam niſi venerit diſceſsio primum & reuelatus fuerit homo peccati.* Quaſi dicat tunc primùm licebit cognoſcere inſtare diem domini. Atque etiam Chriſtus cùm dixit. *His autem fieri incipientibus reſpicite & leuate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra.* Sed quando eiuſmodi ſigna erunt, atque adeo quando inſtabit iam iam, & conſequetur extremus dies, hoc eſt quod à nemine cognoſci poteſt. Sed multis etiam extremo illo tempore propter ſocordiam, inopinatò prorſus, etiam poſt viciſsima ſigna, *dies illa tremenda* ſuperueniet, *tanquam fur in nocte.* Oportet igitur hæreticos exhauſto rubore, imò & ſceleratos eſſe, qui hic tam apertis verbis Danielis & Apocalypſeos atque ſacræ Eccleſiæ interpretationi de iugi Sacrificio & Antichriſti nequitia cuius organa ſunt, ſeſe opponere audent. Addam & aliud teſtimonium ex ſacris Panchartis Sophoniæ excerptum. *Quapropter expecta me, dicit Dominus, in die reſurrectionis meæ in futurum: quia iudicium meum vt congregem gentes.* Hic vocatio Gentium prædicitur per Prophetam, tum ſecundus aduentus, vt multorum iudicium eſt, ſed longius à genuina ſenſus veritate aberratum eſt, nam hic dicitur omnes gentiles venturos, qui quidem

Hæretici inanis euaſio.

2. Theſſal. 2.

Matth. 24.

2. Petri 3.

Soph. 3.

quidem congregati ſunt ſub Chriſto reſurrecto, qui vt vaticinatur Sophonias Vt congregem gentes, & colligam regna, vltra flumina Aethiopiæ. Inde ſupplices mei filij diſperſorum meorum deferent munus mihi. Aſt dicet aliquis, hac verborum compage poteſt ne colligi certa ſacrificij prædictio? Maximè equidem hic eluceſcit Sacrificium aliquod extern.ũ Sed ſequitur ne vt illud intelligatur de corporis & ſanguinis Chriſti ſacrificio incruento ſub ſpeciebus panis & vini? Fatendum eſt proculdubio nullum aliud Sacrificium hic notari præter Miſſæ auguſtiſsimum & ſanctiſsimum ſacrificium, vt & interpetis noſtri verſio indicat qui pro מנחה dicit Munus, quod ſeptuaginta item θυσίαν reddunt. Erat autem *Minha* panis oblationis pura farina conſtans. Vt enim diuerſos habebat ceremoniarum ritus ſic & varia obſeruabat ſacrificiorum genera, quædam enim animalium victima, cætera panis & olei placenta fiebant, & hoc eſt *Minha*. Vaticinatur ergo Sophonias gentes in Eccleſiam reductos oblaturos eſſe Dño panem viuũ pro munere & cauillatores hæreticorum fateri cogit in lege Euangelica offerri Sacrificium non Aaronicum quidem, ſed Melchiſedechicum, id eſt M*inha* non ſolum pane conſtás, ſed corpore Domini Ieſu Chriſti ſub ſpeciebus panis, & hoc eſt ſacrificium quod vltra flumina Aethiopię, vt (inquit Sophonias) oblatum eſt. Si enim paulo ſagacius conſideremus ex coſmographica indagine quænã ſint illa flumina, nec temerè ea nominari cenſebimus, eáq; eſſe tria toto orbe celeberrima. *Nilus Actabore Aſtapus*, quæ ab indigenis vocãtur, T*acuij Abauij*, T*agazij*. Quia igitur fides Chriſti penetrauit vltra hæc flumina meritò ait Propheta quod *vltra flumina Aethiopiæ ſupplices mei mihi deferunt munera.* Nam Aethiopes vt vno ore fatentur qui noſtri temporis celeberrima nauigia exequuntur munera, deferunt Ieroſolymam in memoriam paſsionis Chriſti, imò ſi audiamus præclaros noſtri ſæculi Argonautas longiſsima maris emenſos ſpacia, quomodo in tota Aethiopia ſolenniter Sacrificium Miſſæ celebretur, & quod hoſtiam ſacram à Syriaco vocabulo קורבנא vel קורבן, quod eſt munus, mirabimur & dicemus verè

Flumina Aethiopiæ.

Kourbana Kourban

iuxtà

iuxtà prophetæ oraculum vltra flumina Aethiopiæ deferuntur Domino munera.

Osee 14. Audiamus iam tandem Ozeam Prophetantem gratiæ Noui Testamenti celsitudinem, his verbis, *Sanabo contritiones eorum diligam eos spontanee quia auersus est furor meus ab eis. Ero quasi ros Israel, germinabit sicut lilium, & erumpet radix eius, vt Libani. Ibunt rami eius, & erit quasi Oliua gloria eius, & odor eius vt Libani, conuertentur sedentes in vmbra eius. viuent tritico, germinabunt quasi vinea.* Quis non videt hæc Christo & eius Ecclesiæ quadrantissimè accõmodari? Viuent frumẽto, siue vt est apud 70. interpretes *roborabuntur frumento*, id est, pane mystico Ecclesiæ Dei qui dat vitã mũdo, quod est robur eius admirabile, sine dubio viuent pane quotidiano & supersubstantiali quæ est Eucharistia. *Nisi enim manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem habet vitam æternam.* (Ioan. 6.) Alioqui non erat grande miraculum quod corpus hoc nostrum triticum quo vesceretur haberet. At miraculum est quod panem cœli dederit nobis, & quod panem angelorum homo manducet. Vitam igitur animæ promittit Propheta ex pane vitæ. Sicut enim vt corpus pane viuat necesse est vt panis insitam vim habeat alendi, & viuificandi corpus, sic vt anima pane viuat, necesse etiam est, vt panis in se habeat vim animam viuificandi, quod fieri non potest aliter, nisi natura, id est substantia eiusmodi panis sit vita ipsa, quæ est diuinitas corporis Christi. Idem ergo est, *viuent tritico*, ac si diceret, Quemadmodũ triticum frigora perfert hiemis, & ardorem Solis, sic ego multa & acerbissima pertuli, pro hominibus dum agonem crucis sustinui eáque omnia representantur in hoc sacramẽto conferente vitam hominibus. Hinc & Apostolus ait. *Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis mortem Domini annuntiabitis.* Hinc etiam Christus panem viuum se vocat. (Ioan. 6.) Indicat etiam dum Sacrosanctam Eucharistiam triticum vocat Christum in terra virginei vteris fuisse seminatum. Quis enim vnquam vidit triticum nisi in terra satum, indéque ortum. Non igitur æternum patris verbum, quatenus Deus solum est, latet in hoc admirando sacramento conferente

vitam

vitam hominibus, verum etiam quatenus homo eſt. Ea enim ratione ſatum in agro ſancto vteris materni, deinde ortum prodiit & ad aream aſportatum, cruce fuit attritum, vt homines paſceret. Admirabile profectò & inueſtigatu difficillimum opus, Chriſtum tanta contuliſſe generi humano, vt ſe ipſum tanquam cœleſte alimentum animæ dederit. Nec abſre huius rei maieſtatem incomprehenſibilem conſiderans. Ozeas ſubiunxit. *Quis ſapiens & intelliget iſta? intelligens & ſciet hæc?* Si panis metonymicus hæreticorum, panis tantum eſt & vinum non niſi vinum, quid eſt in eis admirabile, & quid omnem naturam ſuperet, vt ſine ſapientia diuina nō poſsit intelligi? An eſſe panem ſignum tantum corporis Chriſti, aut vinum ſanguinis difficile eſt ad intelligedum? Minimè. Quæ enim natura ſigna ſunt, vt notitię ſigna rerum, quarū ſimilitudines ſunt, ſicut eædem notitiæ naturæ eaſdem res apud omnes ſignificant, ſic omnes naturaliter eaſdem res intelligimus, quæ autem Propheta cecinit niſi eſſent intellectu perdificillima & oculis fidei tantum viſibilia, non iunxiſſet maxima verbi Emphaſi *Quis ſapiens & intelligens iſta, quis intelligens & ſciet hæc.* Profundæ profectò & inſcrutabilis eſt ſapientię celeberrima iſta myſteria rimari, ſed ea credere maximi & verè ſapientis eſt.

Congeriem non inutilem quidem authoritatum ex ſacro ſcripturæ Gazophilacio adducimus in teſtimonium propoſiti noſtri thematis, quam copioſiùs exornare poteſt Aggeas Propheta verè & propriè intellectus in eo loco, vbi dicit, *Veniet deſideratus gentibus, & implebo domum iſtam gloria, magna erit gloria domus iſtius nouiſsimæ plus quam primæ, dicit Dominus exercituum, & in loco iſto dabo pacem.* Quomodo autem ſpecioſiore exornabitur cultu nouiſsima domus, Domini ablato precioſo corporis & ſanguinis Ieſu-Chriſti Sacrificio? Qua in re illuſtris videbitur Synagoga, ſi ſublimibus lapillis & theſauris cœleſtibus, id eſt Euchariſtia deſtituatur? Fateamur ergo auctæ gloriæ pondus exiſtimari ſolo Sacramento & Sacrificio altaris, quod quidem antiquas legis præeminentias longiùs antecellit, illo namque ampliore dote inſignita eſt Catholica Chriſti Eccleſia, illo Aggeus 2.

N fulgidiora

fulgidiora ſunt templa noſtra ipſis Salomonis ſmaragdis & pyropis. Nubes quædam & caligo de cœlo deſcendens abſolutum Salomonis templum præcinxit, id autem pro ingenti gloriæ & fauoris munere habebatur. Sed quanto præclarior gloriæ ſplendor, & rutilæ fulgidius lucis iubar templum impleuit quando Chriſtus habitare cœpit Eccleſiá, quando in ea præſentatus eſt, quando eam ſua ineffabili diuinitate decorauit, doctrina erexit, & propitio gratiæ vultu amplexus eſt? Sola nubes aeria, pallida & fugax, ædem Solymorum ambiebat: Romanam verò Chriſti ſplendor cœleſtis, lucidus & perpetuus illuſtrat, cuius exorientem gloriam Angeli prædicant, exultant æthera, cuius diuinitatem ineffabilem mirantur cœli, humanitatem natura comprehendere nequit. Illum innumeris ditantem Eccleſiam ſuam domum nimirum nouiſsimam, pro illa quoque ſeſe offerentem pro humani generis redemptione immania tormenta ſuſcipientē, vidit & admiratus eſt orbis. Habeant priſca templa fulgidiſsimam ſup-

Synagoga & Eccleſiæ diſcrimen.

pellectilem, profuſiſsimam ſuptuū amplitudinem, veſtes, vaſa, & cariſsima quælibet, Catholica Eccleſia Chriſtum habet, Chriſtum inquam ſub ſpeciebus panis & vini in Miſſæ Sacrificio. Conferamus autem ea quæ in primo templo erant cum his quibus choruſcat nouiſsimum. Habuit multa prius quæ in poſteriore non fuerunt, ſcilicet ignem de cœlo deſcendentem, & holocauſta comburentem Gloriam Dei, quæ in propitiatorio inter Cherubim intra Sancta Sanctorum apparere ſolebat. Spiritum Sanctum qui in templo cum Prophetis loqui conſueuerat. Arcam Teſtamenti, Rationale iudicij, quod ferebat in pe-

Locuples veteris teſtamenti Synagoga.

ctore ſummus Sacerdos, vbi erant Thumim & Vrim. Porrò in arca erat Vrna, Manna, Lenticula olei vnctionis (vt Traditio dicit) erat Virga Aaronis cum amigdalis ſuis, & erat Capſella quam pro ſuo peccato miſerant Philiſtæi Mirùm quibus inſigniis & ornamentis reddebatur glorioſum templum antiquum. At quis iſta conferre audebit æquo pondere cum precioſo Chriſti corpore & ſanguine, quo ſecundum hoc templum reſplendet? Quanto maior eſt Dei gloria, lux, & veritas, quam Creaturarum

omnium

omnium opificia, ſcintillæ & emblemata. Quis ergo negabit potiore gloria poſterius templum potiri? Poſterius inquam & merito nouiſsimum appellatum, quia nullum aliud expectandum eſt in hoc ſæculo, nullum maiore gloria & priuilegio ex ipſius vatis teſtimonio gaudebit. Reſpondeant autem ſi valent Nouatores quomodo domum Dei quæ eſt Eccleſia Dei viui, de qua Aggeus prophetauit implet Deus nunc gloria ſua, ita vt maior ſit gloria nouiſſimæ domus quam primæ, de qua ſcriptum eſt etiam lib. 3. Reg. Poſtquam arca in Sancta Sanctorum illata fuit à Sacerdotibus, gloriam Domini impleuiſſe domum Domini, ſi non eſt nunc in Eccleſia ipſe Dominus gloriæ Chriſtus, in quo habitat, ſicut Apoſtolus ait, Plenitudo diuinitatis corporaliter? cuius typus erant manna & panes propoſitionis, imo & arca illa ſuper quam Cherubin expandebant alas? Reſipiſcant igitur & tanquam de ſomno lethargico emergẽtes in ſalutem vnitatis fateantur, ſaltem ſe multum detrahere ſacris Prophetarum oraculis, qui tam piè & conſtanter Sacrificij noſtri veritatem defendunt.

Minimè prætereundus eſt locus Malachiæ maximis viribus pollens ad expugnandam controuerſiarum farraginem quibus Miſſæ Sacrificium toto conatu hęretici obſcurare nitũtur, fulgebit nihilominus ſi ſalubrius intelligamus Prophetiam, *Non eſt mihi voluntas in vobis dicit Domi-* Malach. 8. *nus exercituum, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra. Ab ortu enim ſolis vſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.* Iam videtis vnum Sacrificium reiici, alterum commendari & inſtitui. Sacrificium veteris legis repellitur, gratiæ verò & Euangelij accipitur. Illud minimè placere poterat Domino, hoc verò ab vtroque orbis axe acceptabile fertur, & ideo מנחה טהורה id eſt, *oblatio munda.* Quæ enim purior ſanctior & dignior exiſtimabitur quam corporis Chriſti, agni immaculati oblatio? Quis amplior & celebrior eſt quam Miſſæ Sacrificij cultus qui ab Eois Occiduíſque plagis veneratur & noſcitur. Vos teſtor Indiæ & Americæ populi, vóſque ab orbe noſtro ſumma locorum & marium intercapedine ſeparati, qui quamprimum hauſiſtis fidei Chriſtianæ gratiam & Præconium

ſimulátque huius ſacri myſterij & corporis Chriſti ſacrificium accepiſtis. Stomachabundi veluti reieciſtis panem & Ientaculum Caluinianorũ qui mira impoſtura fidei religionem mentientes, neophytos & nouos veſtros animos deprædari conabantur. O incredibilem in tanta fidei propagatione gratiam! Perdiderunt operam crudeles illæ beſtiæ quæ ad deuorandas orbis noui inſulas magno ſumptuum commeatu ex ſpecubus Germanię & Gallię exilierunt. Perduelles profugi qui putabant ferum mare capax fore fanaticæ eorum doctrinæ, rudes profectò idiotas & ab omni fuco alienos noluerunt eis obſequi & maximo dedecore comitati ad patrios errorum lares remearunt. Quid agent? Altiore quam antea latratu cœlum terris miſcere nituntur. Omnia conturbant ſcripturas grandi extorſione, debilitare contendunt, nec hunc Malachiæ locum intactum relinquunt, quo ſperamus reliquum nobis eſſe Sacrificium perſpicuum facere. Sed videamus quomodo interpretetur ab Hæreticis. Horum ſententia eſt, laudum & celebrationũ nominis diuini illud eſſe purum Sacrificium cuius meminerit Malachias. Verùm cum hoc Sacrificium cum Sacrificiis externis, viſibilibus & ſenſibilibus veterum conferat, ratio textus poſtulat de Sacrificio ſermonem eſſe iuxta exactam & proprij Sacrificij externi rationem, qua id propriè Sacrificium dicitur quod à Sacerdote pro ſe & aliis palam offertur. Eius autem generis non ſunt illa cordis ac Spiritus Sacrificia. Quare de viſibili aliquo & externo loquutum eſſe conſequitur. Idcirco pulchra conſtituitur Anthiteſis apud Prophetam ſcilicet inter duo Sacrificiorum genera, quorum alterum quod pollui non poteſt, opponit veteri quod pollui poterat vaticinatus fore, vt Sacerdotes Chriſti offerant Sacrificium quod pollui non poſsit. Poſtquam enim dixiſſet. *Offeretis ſuper altare meum panem pollutum, & dicitis in quo polluimus te?* & iterum, *Si offeratis cæcum ad immolandum nónne malum eſt?* & ſi offeratis claudum & languidum nónne malum eſt? paulopoſt ſubiungit, *In omni loco Sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda*, ideſt, quam ſacerdotes etiam ſi velint non poſsint polluere. Nequaquam ergo ad orationes

Nouum Caluini Euangelium apud nouas Inſulas nõ potuit auditores venari quod inimicus homo non ſeminare ſed ſuper ſeminare poſsit. Matth. 13.

Hæreticorum ſuffugium.

tiones & preces refertur vaticinium, nam cum dicat nouum istud Sacrificium propriis & destinatis sacrificatoribus offerendum, inficiaretur veritati figura, quia cum Sacrificium spirituale quod tametsi semper fuerit, in angusta tamen orbis portione, hoc est in Iudæa tantum, in qua notus erat Deus peractum sit, hoc autem prædicatur toto orbe celeberrimum fore, & proprios habiturum Sacerdotes, preces autem & cordis oblationes promiscuè ab omnibus feruntur, impiis & probis, & maxima requireretur hostiarum copia quamuis de vna tantum vaticinetur Propheta explosis priscis omnibus Iudæorum Sacrificiis, atque victimis, & pro Mosaicis precibus, Sacrificium instituendũ dicat quod maxima puritate & sanctitate reliqua excellat. Quis autem pientissimos patriarchas hoc genus cultus diuini & spiritualis Sacrificij credat? Quis non ipsum Dauidem sic Deo litasse existimabit, qui tantopere sibi huius rei conscium se fuisse declarat, vt in meditatione sua ignem exarsurum sibi promitteret? Scio de Ecclesia vulgatum istud vaticinium, tamen cum isti homines omnia ad ipsum Dauidem torqueant, quidni suo gladio iugulentur. Quid de reliquis sacerdotibus, quorum precibus condicitur Dei propitiatio. Ergo nouum istud sacrificij genus dici non debuit nec Prophetam de futuro vaticinatum: sed vel sui vel superioris temporis religiosos precatores præ oculis tantum habuisse quod falsum esse nemo non videt. Si tamen ad nostra respexit tempora cur ad hæreticorum potius preculas quam ad nostra respexit Sacrificia? Equidem causæ nihil video præsertim cum ipsi pro sua impietate dudum preces omnes abrogarint, solis concionibus & cantillationibus contenti, quas forsan nomine Sacrificij iudicarunt dignas. Et ista quidem & ipsis Prophetæ verbis, vt ad hæreticas preces torqueri nequeãt. His rationibus etiam vtimur ad confutandam multorum dementiam qui dixerunt hãc Malachiæ prophetiã nouum Sacrificium, hoc est, Sanctorũ martyriũ pro Christo significari, sed pariter rore sentẽtia cũ superiore hæresi graditur, nam tot essent Sacrificia quot martyres, nec de Nouo Testamento duntaxat vaticinatus fuisset Malachias cum

Matth.23. & in veteri plures Prophetæ paſsi ſint Martyrium quorum ſanguinis reos facit Iudæos Chriſtus, & Paulus teſtatur *Hebr.12.* priſcos ſanctos dediſſe fidei teſtimonium per uaria mortis ſupplicia. Dicit in prophetia Malachiæ promiſſam eſſe in primis predicationem Euangelij per quam Deus vbique terrarum agnoſceretur, deinde etiam eius fructum prædicationis, fidem ſcilicet & confeſsionem. Sed qua in parte tantus Argus foris & talpa domi inuenit modum iſtum loquendi ſcripturę, Prædicatio Euangelij eſt Sacrificium? *Rom.11.* Paulus quidem ſe miniſtrum, & gentium Apoſtolum Euangelium honorificantem non ſacrificantem gloriatur. *Caluini mendacium de vera Eccleſia.* Maxima noctis & tenebrarum caligo hoc Sacrificium inuoluiſſet quod paucis ab hinc annis in lacu Lemano Caluinus ſe hauſiſſe aſſeuerat, cum poſt Gregorij maximi tempora Euãgelij veritatem ſepultã fuiſſe mẽtitur. Qua in re mẽtietur Propheta qui Sacrificium iuge & perpetuum precinit. Imò nulla habebitur perſonarum Sacrificantium diſtinctio cum omnes hæretici vtriuſque ſexus nulla vocationis authoritate commoniti Prædicationem Euangelij profiteantur, apud quos tot erunt Sacrificiorum genera, quot doctrinæ ſchiſmata. Sic deniq; omnes quotquot hactenus extiterunt Eccleſiæ doctores ſingulare & priuatum habuerunt Sacrificium, ſic poſtremò Ioannes Baptiſta Sacrificiorum Noui Teſtamenti author & inſtitutor erit qui preparans doctrinam Euangelicam diſcipulis ſuis præſcripſit ieiunia, longas preces, victum parcum & auſterum, ipſe nemorum alumnus, ferarum ſocius, veſte non è lana, ſed è camelorum pilis contexta quæ cilicij quoque vinceret aſperitatem, locuſtis veſcens & aquam bibens non zona ſerica aut ſtola aurea, ſed rudi loro Sacrificus exiſtit Noui Teſtamenti in hoc ſolo Euangelij præconio. Sic ergo Prophetia Malachiæ, pro commento aut fabula lacerabitur & exibilabitur?

Quidam magis cordatiores populi applauſum ambitioſiùs quærentes oraculum ſanius interpretari putant, ſi illud referant ad ſacrificium cruentum quod in ara crucis actum eſt, Sed ne poſsit intelligi de hac oblatione duo prohibent quorũ primũ eſt quod hæc oblatio prædicatur

offerenda

offerenda in omni loco, ſed in certo ac determinato & vnico loco duntaxat; nimirum extra Hieroſolymorum portas cũ ſupra montem caluariæ oblatus ſit Chriſtus ſacrificio illo cruento. Secunda eſt quod hæc mũda oblatio deſcribatur offerenda in gentibus, in magnificationem nominis Dei, cum illa cruenta hoſtia oblata ſit tantunmodo in Iudæa & hoc in vituperium ignominiam & opprobrium filij Dei. Dicitur autem iſta oblatio (qua offertur Chriſtus Deo Patri in adorando ſacrificio altaris) mũda, illibata & incontaminata magis ex ſeipſa quam ex offerentium merito. Cum itaque verè conſtet vatem Malachiam de cruento Meſsiæ ſacrificio non loqui, aliud nobis eſt verum, & proprium inueſtigandum. Siquidem crucis ſacrificium quod vnicum & ſemel oblatum noluit opponere, ſed quotidianis quotidianum, quale nullum Eccleſia agnouit præter hoc Euchariſticum de quo etiam ait, *offertur*, non *oblatum eſt*, vt iam tunc frequentationem oblationis præſenti tempore indicarit & hoc ſacrificium vſque ad finem ſæculi continuato ritu offerendum vaticinaretur. Chriſti autem ſacrificium cruentum non reiteratur quia reſurgens ex mortuis iam non moritur. Sed in eius memoriam omnium habitatores terrarum, quas ſol exoriens & occcidens ſuis radiis illuſtrat ſacrum purum & gratum hoc Sacrificium per miniſtros legitimos venerabuntur.

Sacrificium crucis non reiteratur.

Si quis autem Sacrificiũ noſtrũ quod in ſacris Miſſæ ſolenniis operantur benedictionibus & conſecrationibus Sacerdotes, illi quod in ſublimi cruce ſemel & pro omnibus oblatum eſt contulerit, certè magis imaginem & repræſentationẽ Sacrificij quàm Sacrificium eſſe videbitur. Quæ enim collatio cruentæ victimæ ad incruentam? agni paſsibilis & mortalis ad impaſsibilem & immortalem? crucis ad altare? viſibilis Sacrificij ad inuiſibile? Chriſti in humana ſpecie & Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini? Sanè quod ad victimam attinet, eadem eſt, & eadem hoſtia litatur, licet non eo modo, quo in cruce, tamen idem agnus, idem Chriſtus, eadem caro, idem ſanguis, eademq; eſt caro Chriſti iam regnantis, & Chriſti in terra militantis.

Quid

Quid dilucidius adferri poteſt? an neſcis eundem eſſe qui docuit offerri & qui offert,& qui offertur,hócque Sacrificium eſſe pro glorificatione filij hominis hoc eſt eius, qui offert & offertur.In conſpectu Presbyterorum (ait in perſona Domini Eſaias) glorificabor. Filius enim Dei Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſibi gloriæ ducit, ſi quando pro nobis intercedit, & exauditur à Patre: & vt Paulus ait, multos filios ſecum in gloriam ducit. Vnde Sacrificium illud quod Chriſtus ipſe eſt,& ipſe Chriſtus offert, acceptum eſt Deo Patri,non quod hic à nobis indigeat Sacrificio,ſed quoniã is qui offert(nimirum Chriſtus qui ſeipſum inuiſibiliter, cum ſponſa ſua Eccleſia per Sacerdotem miniſtrum offert)glorificatur in eo quod offert,nimirum vero corpore ſuo, quod dat hoſtiam pro mundo & in quo intercedit pro nobis apud patrem. Nam & modo orat pro nobis Chriſtus,orat in nobis,& oratur à nobis,vt Sacerdos noſter,orat pro nobis, vt caput noſtrum orat in nobis, vt Deus noſter oratur à nobis. Sed vt locum Prophetæ tutiſſima ſepe circumuallemus,ne eius puritatem & illibatum candorem violent hæretici, neue Prophetiam ad ſpirituales oblationes aut alia huiuſmodi conuertant, velim omnes perſpicacius intelligere proprietatem verbi, quo 70. interpretes hoc loco diuini pneumatis conſilio & flammis obſequentes vſi ſunt, nempe προσάγεσθαι, quo enim Latinus interpres vertit, *in omni loco offertur Thymiama nomini meo,& ſacrificium mundũ*,Græcè eſt προσαγεται, vt ſi dicas adducitur,non προσφέρεται, id eſt,offertur,quod tam de Sacrificio animato & viuẽte,quam de inanimato dicitur: quod in promptu eſt,& frequens, ſi quis velit in Leuitico obſeruare,προσαγεσθαι verò,ſemper in Leuitico de hoſtia animata & & viuente dicitur, & nunquam de Sacrificio anima carente.

Eſa.4.

Vt ſciamus & certò credamus de eo tantum Sacrificij genere Malachiam loqui, quod vnius ſpeciei atque modi ſit,ſicut erant quælibet illa Sacrificia Leuiticorum, ex his quæ per Anthiteſim reprobat ibi Deus, quódque non ſemel tantùm, ſed ſæpius in vno quoque loco faciendum eſſet.*In omni enim loco ſacrificatur,& offertur*, vtique cum frequentatio-

quentatione, ſicut offerebantur ſacrificia Leuitica, quibus hoc anteponit. Non oblationes *ſed oblatio*, ait, vna videlicet vbique, & vnius modi munda quæ in prædicationem Euangelij & conuerſionem paſsiuam gentium, aliáſve religionis obſeruationes cadere non poteſt. Hactenus vt opinor ad amuſsim receptus eſt locus Malachiæ, ex quo ſpecioſum veritatis & aſſertionis noſtræ iubar præfulget, inuitis hæreticorum lippis & cæcutientibus oculis. Audiuimus ſummos Dei Prophetas, & vtriuſque ordinis vates Catholicæ cauſæ patrocinari, eámque defendere aduerſus ſpuriorum hominum & hæreticorum naturalem peruerſitatem & dementiam, quaquidem pertinaciter commori eos non permittat optimus Sapientiæ cœleſtis monitor Chriſtus, nec vlciſcatur iuſtitia ſua nepharios illos errores & indignisſimas contumelias, quas quotidie in ipſum & gregem eius euomunt. Obſiſtunt quantum poſſunt, ne quis Prophetarum natiuam & propriam interpretationem calleat, ne quis ad intuenda Eccleſiæ Romanæ myſteria oculos aperiat, ne quis ſacros Bibliorum interpretes audiat. Incredibile dictu eſt quantum præſtigiarum & impoſturarum impenderint ad ſua figmenta promouenda, & ineſcandos homines, ſed longè incredibilius eſt auditu quanta malitia tricipitis Cerberi veneno prælecta & parata ſcripturam ſacram mutilauerint, quibus blaſphemiis & fabulis, eam deuenuſtauerint atque quibus commentis purum ſuum candorem obliterare conati ſint. Eò tamen Diuorum vatum opera compulſi ſunt, vt penitus lucis & veritatis extorres ſe ſciant aut fateantur ſacra oracula non mentiri quæ auguſtiſsimum Miſſæ ſacrificium tantis laudibus, tanta verborum cohærentium concordia prædicant & aſſerunt. Ne autem aliquid effugij miſeris iſtis exulibus, talpis cæcioribus relinquatur, vt ſaltem ſe multum à vero calle aberraſſe intelligant, & nobiſcum roſeum fulgorem amplectantur & mirentur, Chriſti nullis telis, nullo ſententiarum hiatu contradicentium authoritas inuictiſsima iam iam proponenda eſt pro noſtri certaminis coronide.

Corrumpũt & torquent hæretici Prophetias de ſacrificio Miſſæ.

Qui igitur ſacræ ſcripturæ veſtibulum perſcrutabitur

facilè deprehendet Christum Euangelici Sacrificij institutorem certum temporis & rerum modum obseruasse, quodquidem non caruit mysterio in agno Paschali qui decima die mensis parabatur, vt quartodecimo deinceps insequente comederetur. Si ergo Christus altero die non obtulit corpus suum peracta legali cœna: quomodo censemus verum illud quod vnum iota non excidit de his quę figurabantur in veteri lege? Irridetur profecto vetus lex quæ figuris suis inanes quasdam Chimeras docebat futuras, & dicent hæretici veritatem fuisse multo minorem figuris, quod magnum commentitium est, nihil enim certius auditur, quàm quod Christus sese obtulit decima quarta die in cibum, quinta decima vero in victimam cruentam & holocaustum. Primò quidem veri Melchisedec typum sequutus antequam panem acciperet & calicem linteo precinxit se, lauit pedes Apostolorũ vt eos purificaret ad obeundam Sacerdotalem prouinciam, deinde aperuit desiderium suum cum eis manducandi Pascha

Matth.26. hoc est corpus suum quod impassibiliter & incruentè illis porrexit manducandum, sed prius accipiens panem benedixit & gratias egit, sic & prisci in suis Sacrificiis hæc duo laudis benedictionis, & gratiarum actionis munera sædulò obseruabant. Sed age, Quid opus fuisset nuda & propria gratiarum actione, si simplex solùm fuisset cibus? quid tot præparationibus, tanta verborum pollicitatione, si quod pollicebatur non contigisset aut nulla oblatio illius per quem gratia & veritas data est extitisset? Perpendamus alteram mysterij partem cùm Christus dixit, *Hic est sanguis noui Testamenti*; vbi acutè notatur fecisse & ordinasse Testamentum. Quemadmodum enim agnus Paschalis ex Veteris Testamenti legatis numerabatur, ita corporis & sanguinis Christi mysteria erant sola & præcipua legata Noui Testamenti, quibus nobis hæreditatem paternam ius adeundi dedit. At nemo tam parum est versatus in politica iuris administratione qui nesciat testamentum Mortem inuoluere testatoris, & vltimã voluntatem immutabilem morte confirmari, quia vbi testamentum est, mors testatoris intercedens ratum habet mentis consilium, testamentum

Testamentum mortẽ inuoluit testatoris.

ſtamentum enim in mortuis confirmatum eſt, alioquin non valet, dum viuit qui teſtatus eſt, cuius voluntas ambulatoria vſque ad extremum vitæ cataſtrophen mutari poteſt & ad aliud decretum flecti. Mortuo itaque Chriſto pro nobis Teſtamentum nouum confirmatum fuit in ſanguine eius vt nos cohęredes eius eſſemus, quod eleganter perſonat Paulus. *Ideò noui* (inquit) *teſtamenti mediator eſt, vt morte intercedente in redemptione earum præuaricationum, quæ erant ſub priori Teſtamento, repromiſsionem accipiant qui vocati ſunt æternæ haereditatis.* Solennitas itaque huius teſtamenti in ſanguine Chriſti facta eſt, vt & ipſe diuino ſuo protulit ore. *Hic eſt ſanguis Noui teſtamenti*, vel quod idem eſt, *Hic calix nouum teſtamentum eſt.* Sanguis autem iſte non confirmat teſtamentum ſi non præceſſerit oblatio. Hoc enim conſtituto quod teſtamentum mortem inuoluat teſtatoris tunc etiam ea quæ ſequuntur teſtamento inuoluentur, ſicut eſt oblatio facta in cruce. Nam Chriſtum fuiſſe hoſtiam ac Sacrificium in ara crucis oblatum, quum ſcriptura noui & veteris Teſtaméti apertè teſtetur quis negabit? Cum ergo Euchariſtiæ inſtitutio ad teſtamentum Chriſti pertineat, teſtamentum autem inuoluat mortem teſtatoris mors autem teſtatoris Domini Ieſu fuit Sacrificium & hoſtia pro peccatis noſtris Deo oblata. Teſtamẽtum quoque hanc oblationem inuoluit. Ideo hanc vltimam curam relinquit hæredibus inſtitutis diſcipulis nimirùm, *Hoc facite in meam cõmemorationem*, & voluit ſacrificij & oblationis, iugem memoriam & reiterationem fieri in Eccleſia vſque ad conſummationem ſæculi. Non eſt igitur nuperum aut humanum inuentum, ſed intelligentia & ſollicita diuini teſtamenti exequutio tum per Hierarchicos Eccleſiæ Sacerdotes corpus & ſanguinem Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini offerre in Μνημόσυνον hoc eſt commemorationem paſsionis Domini, tum hæc ipſa litare in expiationem peccatorum, vt optima legis interpres conſuetudo & Eccleſia veritatis fortiſsima columna per totum or[illegible] ca- antiqua ipſius propagine Doctrinę Chriſti [illegible] œna Dominica eſt. Poſteaquam ergo Apoſtolus do[illegible] mortem Domini, nica annunciandam eſſe paſsion[illegible] perfectiore

Voluntas hominis ambulatoria vſque ad mortem.

Heb. 9.

perfectione modo fieri nequit, nisi adsit quædam oblatio ex qua (vt vult) & cibus & potus sumatur. Nam si solum est conuiuium, quæ proportio habetur inter manducare, & mori? & ideo apud Ioannem manducatio refertur ad vitam eiúsque æternitatem per resurrectionis gratiam, & non ad mortem: Nihilominus qui participant ex altaris symposio, mortem Domini annunciant, sed non propter panem gustatum aut vinum haustum, absque veritatis Sacramento, sed verum corpus & sanguinem Christi φάρμακον ἀθανασίας immortalitatis cibum post ipsius oblationem, sumentes, quemadmodum qui oblatum comedunt animalis Sacrificium eius cædis recordantur. Qua in re multum delirant Archirabini Caluiniani qui putant Idæis nescio quibus, aut spirituali nescio qua rerum reuolutione aut lectione sola, hanc recordationem fieri, cum & veteris legis Sacrificia futuram passionem Christi nunciantia externis ritibus & ceremoniis cum victimis, non verborum fuco aut phantastica consideratione exequebantur Hæbrei enim in victimis pecorum quas offerebant Deo, multis & variis modis sicut re tanta dignum erat, prophetiam celebrabant futuræ victimæ quam Christus obtulit. Nostra ergo memoria & repræsentatio externa debet esse & actualis, & oculis exposita, qui promptiores & alacriores sunt ad concipienda obiecta signa & actiones, quam solæ aures, & idcircò habemus τὰ θεῖα καὶ ἁγιώτατα καὶ σεβάσμια σύμβολα, id est, diuina & diuinissima colenda Symbola, quibus verus Deus & homo percipitur, offertur, & immolatur. In Caluiniana autem cœna, sin mauis imaginaria contemplatione, nulla est mactatio, nulla est oblatio, sed spectrum, figmentum, & mendacium. Domino ergo præcipienti obsequimur acerbissimæ mortis suæ memoriam efflagitanti, omnibus nostris ritibus in hoc celeberrimo Sacrificio peractis, siue enim sacras vestes, & cætera omnia quę piè Sacerdotis ministerio in altari obseruantur perpendas, vel eris [illegible]itate ipsa cæcior, vel cote durior vel pumice aridior, [illegible]animo deprehendes, hæc omnia Passionem Christi [illegible]ssimam memoriæ reddere, & reuocare. Nec perfectius [illegible]ciari & exprimi potest mors Christi & passio

Ioan. 6.

Sacramentum immortalitatis Pharmacum.

& paſsio quam hoc altaris incruenti ſacificio. Deinde vt ſacrificando, magis magiſque propitium nobis reddamus patrem miſericordiarum, ipſúmque exoremus, vt ea quæ crucis Sacrificio donata ſunt nobis commodè cedant. Ea enim communis & vſitata eſt Sacrificiorum ratio, vt his homines diuinum ſibi fauorẽ magis magíſque concilient. Interea autem quibus Deo gratiores & chariores reddimur primas fert Sacrificium altaris, quod Chriſtus tam ſerio voluit celebrari perpetuo in ſui ſingularem memoriam voluit illud inſigniri benedictionibus & conſecrationibus non muta phantaſiæ meditatione, ſed corporali manducatione ſuiipſius nos participes faciens. Hæc omnia in hoc vno præcepto includuntur, HOC FACITE. Quibus profectò nihil dilucidius audiri poteſt ad hoc inſtitutum probandum niſi veſania hæreticorum aliud quam quod non eſt excogitaret ad euertendam noſtræ fabricæ machinam. Ipſius tamen Chriſti ſacra verba diſcutienda ſunt ſagacius & intus & in cute examinanda, vt omnem dubij ſcrupulum excutiamus. Huius itaque voculę perſpicacem intellectum perrimanti, præteritarum mentio reuoluenda eſt, qua dignè perſpiciat ad quid referatur pronomen *HOC.* Narratur ergo in Hiſtoria Euangelica Chriſtum accepiſſe panem, gratias egiſſe, benedixiſſe, fregiſſe, dediſſe diſcipulis, dicendo, *Hoc eſt corpus meum quod pro vobis datur*, ſtatimq; ſubiunxit ille. *Hoc facite in mei commemorationem.* Pronomen itaque vltimũ, *hoc* cùm libero paſſu gradiatur, nec coarctetur ad demonſtrandũ aliquod præmiſſorum, & ad aliquid præmiſſorũ non demonſtrandum, conſequens eſt, demonſtret omnia quæ præmittuntur. Itaque vt Chriſtus oſtenderet genus oblationis dixit *hoc facite*, id eſt, offerte corpus meum, quod pro vobis datur, Scilicet immolatitio modo. Sic his verbis tum præceptum tum præcepti adimplendi facultas & potentia datur, alioquin nec Apoſtolis nec eorum ſucceſſoribus potis fuiſſet faciendi ea quæ Chriſtus fecit, & in poſterum in ſui commemorationem fieri voluit. Aſt dicet audaculus quiſpiam. Vbi ſunt verba expreſſa collatæ huius poteſtatis? vbi dictum eſt, Do vobis poteſtatem conſecrandi, offerendi, &

distribuendi corpus meum. Sciat autem quisquis ille sit talia minus prudenter in controuersiam referens quod consueta & singularis loquendi phrasis Christi hęc omnia suo ambitu complectitur. Ea propemodum loquutione dixit Apostolis, *Ite, docete omnes gentes, baptizantes in nomine,*
Marc.16. *&c.* Sed nō dixit specialiùs authoritatis dona distinguens, *Do vobis* potestatem docendi, baptizandi. Neque cum Petrum Ecclesiæ pastorem constituit dixit aliud quam *Pasce*
Ioan.21. *oues meas*, non autem do potestatem pascendi, regendi, docendi oues meas. Sed lata potestas his verbis continetur, *Pasce oues meas*. Pariter dicens, *hoc facite in meam commemorationem*, id est, Do vobis potestatem faciendi quod facio. Non dixit, hoc dicite, sed *hoc facite*, vt significaretur id quod mandat non consistere in dicendo sed in faciendo, quódque dicere hic interueniens, non propter dicere, sed propter facere sit, vt intelligeremus verba consecrationis esse verba efficientia illud quod significant. Nolunt hæretici præsidia Catholica euertentes verbum *hoc facite* pro offerte aut immolate accipere quamuis id passim occurrat in sacra scriptura, quódque ex ipso Hæbreorum loquendi vsu facilè apparet. Sic enim iuxtà Hæbraicum Dialecton in 3. Reg. lib. legitur *Fecit Salomon holocausta & adipem pacificorum.* Neque secus Iudic.13. *Si vis facere holocaustum, offer illud Domino.* Leuit. item 23. Iudæis præcipitur, *vt hircum vnum faciant pro peccato.* Quin & Lucas eodem sensu parentes refert puerum intulisse in templum, *vt facerent pro*
Luc.2. *eo iuxtà legis præscriptum.* Quid igitur vetat quo minus id verbi *hoc facite* modo in Christi factum retuleris, in ea significatione accipiatur. Christus autem adiungens *in mei commemorationem* distinguit facere à commemorare, vt significantiùs non dixerit hoc commemorate, sed *hoc facite in mei commemorationem.* Mandat itaque Dominus Iesus *hoc*, id est, vniuersa præmissa facere in sui memoriam. Actus ergo faciendi hoc mandatur relatus ad recordationem Domini Iesu. Ex eo autem quod sub illis verbis, *hoc facite* comprehenditur non solùm facere corpus Christi, sed etiam facere corpus Christi quod frangitur seu datur pro vobis, manifestum est Dominum Iesum dixisse, facite corpus meum.

meum quod pro vobis frangitur & datur, ac si diceretur quod pro vobis immolatur. Neque enim aliter frangitur aut datur nisi pro quanto immolatur pro vobis, facere autem corpus meum quod pro vobis immolatur vt sic, perinde est ac facere corpus meum quatenus pro vobis immolatur. Nam sic duntaxat fit à nobis corpus Christi quatenus immolatur, vt vtrumque facto impleatur, videlicet & consecrando facere corpus Christi, & immolando facere quod datur & frangitur pro nobis adiuncto tertio in Iesu Christi memoriam. Si quid mihi est ingenij quod quam sit exiguum censeo illud vellē penitus extendi & exponi aduersus insulsissimas hæreticorum obiectiones, qui sicut aspides obsurdescunt ad hanc clarissimam vocem *hoc facite* Sed vt saltem ineptiam & inscitiam eorum fateantur, eos lubentissimè huic meæ interrogationi absq; inani verborū anfractu & pulsis ambagibus respondere precor. Qua testimonij sacri authoritate quibus scripturæ suppetiis credant Sacramentum institutum fuisse in cœna à Christo, cum ne minima quidem particula dictiunculæ, nullum Iota, nulla syllaba inueniatur Sacramentum significans. *Accepit* (vt testantur Euangelistæ) *Iesus panem benedixit fregit, deditq́, discipulis suis, & dixit, accipite & manducate hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur, hoc facite in mei commemorationem.* Non dicit Celebrate Sacramentū hoc, quod instituo, Sed hoc facite, Quid? Quod vidistis me fecisse, quod iam dixi, Accipite, offerte, edite, date. Vnde ergo credēt in hoc Sacramentum, esse factum figuram & signum corporis Christi? Rationibus ex Christi mysteriis collectis? Minimè gentium. Sed age, Audebúntne ratiuncularūineptè excogitatarum farragine quidquam testamento Christi superordinare, vbi nihil legitur nihil auditur quod expresse & distinctè Sacramentum sonet? Videant ergo quam pueriliter delirent in perscrutandis vocum enunciationibus. Tergiuersentur quantum volent, nullus hic patet exitus. Coguntur ergo nobiscum fateri, neque Sacrificij neque Sacramenti expressam vocem in verbis cœnæ nobis ad Sacrificium & Sacramentum credendum necessariam esse cum habeamus in historia Euangelistarum rem ipsam

In sacræ Cœnæ historia nomen sacramenti non legitur.

in qua

in qua & Sacrificij & Sacramenti rationem cum Ecclesiæ Catholicæ iudicio animaduertere facillimum est iis qui Sacrificij & Sacramenti rationem habent perspectam. Videamus ergo si superiorum omnium Anacephaleosi possimus condere firmissimum argumentum, quod veluti murus aheneus nostram tueri queat sententiam, & aduersariorum tela acie sua retundere. Id autem commodè fiet si ex præfatis ita ratiocinemur. Corpus Christi immolatum & mactatum in victimam, est terminus actionis sacrificalis, cùm immolatum corpus fieri non possit nisi per immolationem, nec hostia nisi per præcedens Sacrificium. Igitur vt sic existat corpus immolatum in Sacramento, debet interuenire Sacrificium. Rursus Actio per quam constituitur res aliqua immolata, est verum Sacrificium, sed huiusmodi est consecratio, proinde consecratio est Sacrificium.

Argumentum ex superiorum recapitulatione.

Postremò Christus consecrando, id est, benedicendo ac proferēdo verba Sacramentalia, fecit corpus mactatum ac immolatum, ergo immolauit. Item potestatem dedit, instituit, præcepitque vt nos idem faceremus circa corpus suum quod ipse fecit, dicens, *hoc facite in meam commemorationē.* Refertur enim præceptionis ista vox ad totam actionem Dominicam. Ergo iussit nos facere corpus mactatum ac immolatum & per consequens voluit vt nos sacrificaremus. Si hæc omnibus obiectionibus non faciant satis, nescio profecto quid satis sit. Complures alios teterrimos & absurdissimos errores contumeliosos in Deum, & perniciosos hominum saluti vbique ab hæreticis sparsos prætereamus, quos tamen liberiore ocio confutabimus. Reliquum est vt ostendamus hæc sacra etiam temporibus Apostolorum, imò viuentibus Apostolis fuisse peracta ne quis Arcade stolidior dicat hoc Sacrosanctum Sacrificium esse Papisticum inuentum, aut Conciliorum Oecumenicorum decretis confictum.

Et quidem hoc solo ritu & immolationis genere Apostolos Deo vero litasse eorum sit testis Actuum Historia vbi sic scribitur *Ministrantibus autem illis Domino & ieiunantibus, quo loco sic habent Græca* λειτουργούντων δὲ αὐτῶν τῷ κυρίῳ

Actuum 13.

quod

quod ita reddi poteſt. *Sacrificantibus autem illis*, vel *cum autem ſacrificarent omnino.* Eſt enim λειτουργεῖν miniſtrare non vtcunque, ſed propriè ſacra peragere Sacerdotum more, ſeu Sacrificare. In quo ſenſu Chriſtus Hebr. 8. λειτουργὸς τῶν ἁγίων, id eſt, *miniſter ſacrorum dicitur*: quod vno verbo dici poterat Sacerdos. Nam ſentit illic Paulus Chriſtum eſſe Sacerdotem. Sed & ex ſubiectis verbis videas vbi ſic habet Græca phraſis διαφορωτέρας τέτευχε λειτουργίας, id eſt, *præſtantius miniſterium ſiue ſacerdotium ſortitus eſt.* Quin & Hæbreorum 10. ita accipitur Καὶ πᾶς μὲν ἀρχιερεὺς ἕστηκε καθ' ἡμέραν λειτουργῶν καὶ τὰς αὐτὰς πολλάκις προσφέρων θυσίας αἵτινες οὐδέποτε δύναντα: περιελεῖν ἁμαρτίας. *Et omnis quidem ſacerdos præſto eſt quotidie miniſtrans & eaſdem ſæpe proferens hoſtias, quæ nunquam poſſunt auferre peccata.* Vbi quod noſter interpres reddidit *miniſtrans*, alij vertunt litans, ſeu ſacra peragens. Sentit Paulus apud Philippenſes mortem ſuam eſſe λειτουργίαν, id eſt, ſacrificium. Ex his itaque perſpicuum euadit Liturgiæ nomen in ſacris fermè literis id ſignificare quod apud nos Sacrificiũ. Quanquam & alia in ſcripturis miniſteria interim ſignificet, ſed quæ ſacra quodammodo ſint, aut quæ ex analogia quadam Sacrificia dicere poſsis. Nam & Paulus Rom. 15. λειτουργὸν ſe appellat quod per Euangelij miniſterium gentes Deo obtulerit. Et Epaphraticum itidem quod & ipſe eſſet miniſter verbi: Quin & Corinthiis ſcribens liturgiæ, hoc eſt miniſterij ſui in verbo comme minit. Ipſos denique Angelos λειτουργικὰ πνεύματα eſſe teſtatur, quod & illorum miniſterium admodum ſit ſacrũ. Offerunt namque preces noſtras Domino eſt Tob. 12. vt Apocal. 8 dicitur, Quod verò prophanos Principes, & eos qui magiſtratu funguntur λειτουργοὺς vocat vocem, paululum videtur torqueri. Quanquam & illorum miniſterium qui Rempub. adminiſtrant hactenus ſacrum dici poſsit quod Dei non ſuum agant negotium. *Miniſtri inquit Dei ſunt.* Græca autẽ antiquitas his potiſsimũ nominibus appellauit λειτουργίαν, id eſt, publicum miniſterium dixere, qui inde vocati ſunt Liturgici ſcriptores. Alij ἱερουργίαν, id eſt Sacrificium additis inſignibus quibus ab Idolatricis Sacrificiis diſtingueretur, ἀναιμάκτου, id eſt incruentæ πνευματικῆς, id eſt ſpiritualis & hu- *Hebr. 1.* *2. Cor. 9.*

iuſmodi aliis ne craſſum cruentum & inane Sacrificium intelligamus, ſed blandum, iucundum, quódque Spiritus operationem requirat αλλοτριουργικῶ. iſtos, quod tam dilucidè Apoſtoli noſtram Miſſam venerati ſint, Neſcio autem quo Spiritu eos præditos ſciam, ad negandum quod minimè negari poteſt niſi eius qui nullum non mouet lapidem, vt nos à noſtramet cognitione prohibeat, reddátque prorſus exoculatos. Sed ſi quis aduertat animum ad ea quæ modo diximus facilè comperiet Apoſtoles hoc miſſę inſtitutum à Chriſto accepiſſe, tum ſacrificaſſe. Quod ſi ex quibuſdam Pauli dictis Nouatores velint Liturgię nomē profanari & ad publica officia referri plebis aut Politici magiſtratus, certum eſt Apoſtolos non adminiſtraſſe Rempub. Quod ſi quis dicat tum operam eos dediſſe docendis populis, hunc phraſis ipſa mendacem & ſcurram arguet. Vt enim non negem eos, qui docendis aliis operam collocant, miniſtrare Domino, vſus tamen non eſt ſcripturæ vt cum Liturgię nomine id officij ſignificare velit, Apoſtolos dicat miniſtraſſe Domino id quod hoc loco feciſſe dicuntur. Nam neceſſariò ſequeretur Apoſtolos emiſiſſe doctrinæ & Euangelij prædicationem Deo, cuius eſt eloquium diuinum infundere Euangelizantibus ad docendum, non autem vt doceatur, nec in hanc temeritatem inſolentius ruiſſet Apoſtolorum chorus vt tãtum ſibi virium conceſſiſſet in illius inſtructionem cuius prudentia eſt incomprehenſibilis, ſapientia admirabilis, intellectus infinitus, quique nullius eſt auditor ſed omnibus veritatem oſtēdit & doctrinam communicat. Huc accedit quod *Miniſtrantibus illis Domino, Spiritus ſanctus ſuggeſſiſſe ſcribitur, vt ſegregarent Petrum & Barnabam, &c.* Quis hic opinabitur hoc ipſum tum illis ſuggeſsiſſe Spiritum cum prædicarent, cum magis conueniat, tum fieri reuelationes Spiritus cum quietus eſt animus, cum orationi & contemplationi quam maximè vacat?

In oſores Sacriſicij.

Proinde proprius eſt vero, ſi dicamus Diuum Lucam quietius aliquod miniſterium, & quod contemplationi, accipiendiſq; reuelationibus magis aptum ſit ſubindicare voluiſſe. Hoc autem non aliud tum feciſſe, quàm altaris

miniſterium

miniſterium non illibenter fatear, quod & vox Græca arrideat, & faueat phraſis ipſa, id quod locupletiſsimè ſimul & veriſsimè à nobis oſtenſum eſt. His & hoc poſtremò facit quod Græci Apoſtolorum temporibus vicini, Liturgiæ nomen ad id miniſterij acommodauerunt quod nos vulgò Miſſæ officium vocamus. Quæ vox curioſiùs ab Hæbreis repetenda non eſt, vt putamus. Et poſtremò tam à Græcis, quam Latinis vulgatiſsimè ſacrificium ἀναίμακτον id eſt incruentum, & Sacrificium Laudis, gratiarúmque actionis ſeu Euchariſticum imò & propitiatorium appellatur. Iam nemo dubitabit eum ſacrificandi ritum in Eccleſia viuentibus etiamnum Apoſtolis fuiſſe ex Paulinis illis verbis quæ Hæbreorum 13. ſcribit, id quod facile ſubodorabitur quiſquis emunctæ naris fuerit. Ἔχομεν θυσιαστήριον ἐξ οὗ φαγεῖν οὐκ ἔχουσιν ἐξουσίαν οἱ τῇ σκηνῇ λατρεύοντες, *habemus altare de quo edere non habent poteſtatē tabernaculo qui deſeruiunt.* Alludit ad figuram, ſubindicans id eis in veritate iam contigiſſe, quod expiationis tempore in figura illis contigerat. Tum enim de Sacrificiorum carnibus veſci non licuit, quæ extrà caſtra elatæ cremabantur. Ita neque modo ex menſa Dominica edere illis licet aut participes eſſe Sacrificij corporis & ſanguinis Chriſti quod adhuc legalibus illis Sacrificiis Chriſtum velut extrà portam olim paſſurum ſignificent. Nunc ſi huius argumenti efficacia parum moueat ſilicea pectora hæreticorum, qui nullius ſcripturæ veritati cohærent, axioma ſcholaſticum & puerile adferemus quod non inane & fragile videbitur. Norunt pene omnes qui ipſam ratiocinandi & diſſerendi artem è limine etiam ſalutarunt Relatorum inter ſe tantam eſſe neceſſitudinem, vt alterutrius interitu tollatur vtrunque. Chriſtus autem & poſt Chriſtum Paulus dixit Chriſtianos habere θυσιαστήριον ſiue מזבח, ſeu vt Syrus vocat Matthæus, מדבחא hoc eſt Sacrificatorium, ad quod munus ſuum deponere iubet offenſæ fraternæ conſcios. Habemus igitur altare, habemus θυσιαστήριον; quid tum poſtea? Si ita ſit? habemus & זבח, & θυσίαν, & Sacrificium quæ ſeparari nullatenus poſſunt & mutuo connexu inuicem iunguntur. Permittitur Sacrificatorium fruſtra ſi caremus Sacrificio,

Relatiua ſimul ſunt natura.

Matth 5.

Sacrifico, & cæteris ad cultum Sacrificij & altaris pertinentibus. Nec aliter explicatus deprehenditur alter Pauli locus in quo aptiſsimè colligitur, Christum hoc Sacrificium non ſolum vt Sacramentum, ſed etiam nouæ legis veluti Sacrificium inſtituiſſe. Satis enim nobis apparebit dilucida mens & intentio dicti Apoſtoli, ſi cum ſuperiori cōferatur. Sed quid ait? *Ego accepi a Domino quod & tradidi vobis, &c.* Ex hoc quidē quod Paulus dicit ſe tradidiſſe Corinth. quod accepit à Domino, de Euchariſtia, diſcimus id quod acceperat à Domino, & eis tradiderat fuiſſe ritum communicandi & accipiendi hoc Sacramentum, quod quidem iam vſitatum erat apud Corinth. de quo ritu mentionem fecerat capit. præcedenti quum diceret, *Fugite ab Idolorum cultura, &c.* quemadmodum ibi legitur. Vnde ſubiungit. *Quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, & non Deo*, non quod offerebatur culpans, ſed quia illis offerebatur. Hæbrei autem in victimis pecorum quas offerebant Deo multis & variis modis, ſicut re tāta dignum erat, prophetiam celebrabant futuræ victimæ quam Christus obtulit. Quia eſt Iſrael ſecundum ſpiritum, qui veteres vmbras iam non ſequitur, ſed eam conſequentem, quæ illis vmbris præcedentibus ſignificata eſt veritatem. Hæc quippe Eccleſia eſt Iſrael ſecundum Spiritum, à quo diſtinguitur ille Iſrael ſecundum carnem, qui ſeruiebat in vmbris Sacrificiorum, quibus ſignificabatur ſingulare Sacrificium quod nunc offert Iſrael ſecundum Spiritum De cuius domo non accepit vitulos neque de gregibus eius hircos. Iſte immolat Deo Sacrificium laudis non ſecundum ordinem Aaron, ſed ſecundum ordinem Melchiſedec. Nouerunt qui legunt, quid protulerit Melchiſedec quando benedixit Abraham. Et ſi iam ſunt participes ſenſus, vident tale Sacrificium nunc offerri Deo toto orbe terrarum. Dei autem iuratio incredulorū eſt increpatio, & quod Deum non pœnitebit, ſignificatio eſt, quia hoc Sacerdotium non mutabit. Mutauit quippe ſacerdotium ſecundum ordinem Aaron. Ex verbis itaque Apoſtoli compertum habemus temporibus Apoſtolorum ipſum ritum in Eccleſia extitiſſe qui & nunc obſeruatur, ita quod ſumentes Euchariſtiam

[Margin notes: 1. Corinth. 11. — 1. Corinth. 10. — Pſal 109. — Geneſ. 14.]

ſtiam, ſumant etiam de Sacrificio altaris. Et quia in ſacrificio participant de immolatis & idolothytis, monet Corinthios, vt fugiant culturam Idôlorum. Quam ob cauſam & veteris legis conſuetudinem in medium adfert ſecundum cultum cuius edentes hoſtias, erant altaris participes. Itaque quum omnia tam accuratè de pane & calice attulerit non eſt exiſtimandum eum hoc ſine cauſa aut non in loco feciſſe, vt clarum ſit panem & calicem Domini tempore Apoſtolorum in vſu Sacrificij fuiſſe. Idem etiam teſtatur ad Corinthios 10. vbi connumerat panem ſanctum & poculum, ſanguinis Chriſti inter immolata, ſupputat menſam noſtram inter altaria, decernit edentes & bibentes de menſa Domini, à comedentibus & bibentibus immolata. Ex quibus clarè patet tùm Apoſtolos intellexiſſe mandatum Chriſti, *hoc facite in mei memoriam*, de facere immolando Euchariſtiam, tum Apoſtolorum ſæculo Euchariſtiam fuiſſe in Chriſti Eccleſia non ſolum Sacramentum, ſed etiam Sacrificium, tùm in ſacra ſcriptura & non ſolum in vſu & libris doctorum haberi immolationem corporis & ſanguinis Domini. Verba autem Apoſtoli ſunt hæc, F*ugite ab idolorum cultura vt prudentibus loquor, vos ipſi iudicate quod dico. Calix benedictionis cui benedicimus, Nónne communicatio ſanguinis Chriſti & panis quem frangimus, nónne participatio corporis Chriſti eſt? Quoniam vnus panis vnum corpus multi ſumus, omnes qui de vno pane & de vno calice participamus. Videte Iſrael ſecundum carnem. Nónne qui edunt hoſtias participes ſunt altaris? Quid ergo, dico quod idolis immolatū ſit aliquid aut quod idôlum ſit aliquid, ſed quæ immolant gentes dæmoniis immolant & non Deo. Nolo autem vos ſocios fieri dæmoniorum, non poteſtis menſæ Domini participes eſſe & menſæ dæmoniorum.*

1. Cor. 10.

Euchariſtia ſacramentum & ſacrificium.

Sed minutim diſcutienda eſt Pauli ſententia, cuius præcipuus videtur ſcopus auertere Corinthios à quibuſdam flagitiis quibus addicti erant, nimirum Idolatriæ, in cuius deteſtationem proponit exemplum Iſraelitarum qui tam ſeuerè eius luêre pœnas, dum vitulo aureo ſacrificabant & de immolatis veſcebantur. Corinthij graue crimen eſſe ducebant ſacrificare idolis, ſed manducare de Idolothytis in fratrum ſcandalum laudis & meriti multum hinc in-

de exoriri gloriabantur. Quemadmodum autem priscus ille Idolorum cultus, non solum immolatorum cibis, sed Sacrificij pariter consistebat, sic nos hortatur vt Nouum Testamentum veneremur tum manducatione tum Sacrificio actuali cuius simus participes in mensa Domini. Idcircò inter victimas Israelis & immolata dæmonis recensere panem quem frangimus & poculum benedictionis, & inter altare Israelis & mensam dæmoniorum, mensam Domini & inter victimas edentes altaris Israel, & edentes immolata Dæmoniis, edentes de mensa Domini & bibentes de illius poculo, & huiusmodi ratione inferre, quod non possunt immolatorum Deo & dæmonibus participes esse. Nisi enim immolata essent Deo, panis & calix Christi, vniuersa Pauli fabrica ex immolatis, tàm Deo vero ab Israele, quàm immolatio dæmoniis à gentibus, surgens rueret. Soleo apud me sæpius demirari hæreticas tenebras quæ hoc sacro Missæ Sacrificio toto cœlo aduersantur, cum tam clarum sit testimoniũ quod panis & Calix Christi, tempore Pauli immolabatur vt ampliore luce non indigeat.

Hæreticorum obiectiones.

Hactenus probatissimis vtriusque Testamenti authoritatibus tum in inexpugnabili veritatis ipsius clypæo sanctum Missæ Sacrificium in veteri lege præfiguratum, in noua absolutum, à Patribus & Prophetis prædictum, à Christo institutum, ab Apostolis, & eorum successoribus excultum, verissimè ostendimus ita vt hæreticæ vulpes in antris nullos sibi suffodere possint exitus vt in vno oppressæ per alium effugiant & venatorum sagacitatem eludant. Veruntamen quò grauius exasperetur bellum rabidi illius odij, quod in nos contraxerunt vbi vident se vndequaque cogi ad veritatis assertionẽ, classicum ante triumphum canunt, iniuriarum congeriem effutiunt & cauillantur Catholicos nescire quid vel affirment vel negent sed cæco Marte pugnare in asserenda Sacrificij Euangelici ratione, cuius nulla est mentio in tota Sacræ scripturæ memoria, vociferantur. Quales autem sint qui hæc hauserunt in Christiani orbis perniciem nouit præsens hoc sæculum, & damnum vix obliuisci poterit nostra posteritas.

Horum

Horum velut summus Vexillifer fuit Martinus Lutherus homo insolētissimæ frontis & temeritatis, cuius præcipuū erat studium vt Missa, in summum apud omnes horrorem & contemptum adduceretur. Annuit cæteris prioris hære seos monstris & nouo imposturæ genere suam tueri voluit audaciam. Inter autem maxima suæ scurrilitatis argumēta ta illud vnum est abominandum quod in quodam libello Germanicè conscripto teterrimus Pseudomonachus euomuit, his verbis, Ego aduersus dicta patrum, hominum, angelorum, dæmonum, pono, non antiquum vsum, non multitudinem hominum, sed vnius maiestatis æternę verbum, Euangelion, quod ipsimet coguntur probare. Hîc sto, hîc sedeo, híc maneo, hic glorior, hic triumpho, hic insulto Papistis, Thomistis, Henricistis, Sophistis, & omnibus portis inferni, nedùm dictis hominum quantumlibet Sanctorum, aut consuetudini fallaci. Dei verbum est super omnia. Diuina maiestas mecum facit, vt nihil curem, si mille Augustini, mille Cypriani, mille Ecclesiæ contra me starent. O maximum Euangelicæ modestiæ præconem! O pulchrum ratiocinatoris argumentum. Proh dolor! Misellus monasticæ togæ contemptor multos asseclas habet indignos clientes fouet qui opinantur ea quæ dixit purum esse Euangelium. In eodem libro Thrasone vel Thersite quouis gloriosior iactitat se de Missa triumphasse atque ita ex consequenti de toto Papatu. Sed proculdubio non alio quam ipsius Antichristi spiritu, homo nepharius dicere potuit, aut fœdissima diaboli suasione, vt ea omnia quæ in Christi Missam proiecit, nihil aliud præ se ferant quàm iram, odium atque furorem. Si quis autem miretur quod Doctrinam Lutheri ab ipsa Dæmonis fabrica prosiliisse existimemus, testor ipsum Lutherum qui in libro quem inscripsit de Missa angulari qualem habuerit authorem Doctrinæ suæ non obscurè fatetur. Inducit enim ibi Diabolum disputantem ac fortiora contra Missam argumenta proferentem quam quæ refelli à se potuerint Cuius etiam vocem inibi describit quod ea grauis & robusta sit támque terribiliter insonet vt vsu quandoque eueniat, quod post collationem cum Dæmone nocturnam homines postridiè

Elatus animus Lutheri aduersus orthodoxā fidem.

Lutheri mors. ſtridiè manè mortui reperiantur. Nam & corpus (inquit) occidere poteſt, deinde verò animam ita reddidit anxiam vt in vno momento quandoque neceſſe habeat è corpore migrare. Quod ſæpè ſibi quoque ipſi propemodum accidiſſe ſcribit. Quin & accidit ad extremum, Nam qui veſpere mero dulcíque vino immerſus & ſepultus erat hilaris poſtridiè manè repertus eſt in lecto mortuus, cum totis annis vnde triginta ingentes in Eccleſia Dei tumultus excitaſſet. Atque hoc eſt illud quod adeò magnificè prædicatur à quibuſdam, Dei verbum & Euangelium non à Chriſto, ſed ab authore Sathana profectum, ſicut ipſe fatetur, qui primus id in lucem edidit. Nam ab eo ſibi gloriatur argumenta eſſe ſuppeditata, quibus & Sacerdotium & Sacrificium euerteret. Quibus euerſis, quid aliud quam Deus ipſe ſublatus è medio vel ſaltem in ordinem coactus eſſe videtur? Nam vbi nullum Sacerdotium, nullum Sacrificium eſt, ibi conſequens eſt, nullũ etiam Deum agnoſci. Anno igitur 1521. temporibus Adriani Sexti Summi Pontificis Caroli V. Præceptoris Sanctiſsimi dum librum ſcriberet de abroganda Miſſa apertis adeoque diſertis verbis dicit. Quanquam habeam quod pro ſano ſenſu canonis Miſſæ dicere poſsim, quod & alias feci, tamen nunc non dignabor eum tali honore. Iam ſi quis perſcrutetur de qua cauſa Protheus iſte hæreſiarcha iugum excuſſerit Domini, quáve de cauſa aliter ſentiat de Miſſa atque olim ſenſerit, pro reſponſo accipiet id Dæmonis induſtria Diaboli inquam mẽdacij protectoris impoſtura factum fuiſſe. Ne autem aliqua verborum fraude & vafricie iſta tractari videantur, nemo id melius nouit quam Lutherus qui rei Hiſtoriam elegantiſsimè typis excuſam variis in locis virulentiſsimarum ſuarum lucubrationum commendauit, quámque hic inſerendam operæ precium fore duximus decerptam ex 7. tomo. Vittemb. impreſſo. apud Thomam Klup. vna cum Præfatione Philippi Melanchtonis fol. 228. Auſpicatur autem narrationem ſomnij hoc modo. Contigit me ſemel ſub mediam noctem ſubitò expergeſieri ibi *Lutheri dialogiſmus cum Dæmone.* Sathan mecum cepit huiuſmodi diſputationem, Audi (inquit) Luthere Doctor perdocte, noſti te quindecim annis

celebraſſe

celebrasse Missas priuatas pene quotidie? Quid si tales Missæ horrenda essent Idolatria? Quid si ibi non adfuisset corpus & sanguis Christi sed tantum panem & vinum adorasses? Cui ego respondi. Sum vnctus Sacerdos: accepi vnctionem & consecrationem ab Episcopo, & hæc omnia feci ex mandato & obedientia maiorum. Quare non consecrassem, cum verba Christi pronũciarim, & certo Missas celebrarim, Hoc nosti. Hoc totum (inquit) est verum, Sed Turcæ & Gentiles etiam faciunt in suis Templis ex obedientia, & seriò sacra sua faciunt: Sacerdotes Ieroboam faciebant etiam omnia certo zelo & studio contra veros Sacerdotes in Ierusalem. Quid si tua ordinatio & consecratio etiam falsa esset: sicut Turcarum Samaritanorum, falsi Sacerdotes falsus & impius cultus est? Primum nosti (inquit) nullam tunc habuisti cognitionem Christi nec veram fidem, & quod ad fidem attinet nihilo melior fuisti quouis Turca. Nam Turca adeóque omnes diaboli etiam credunt Historiam de Christo ipsum Crucifixum, mortuum, &c. Sed Turca & nos Spiritus reiecti non fidimus illius misericordiæ, neque habemus eum pro mediatore, & Saluatore, sed exhorrescimus, vt sæuum iudicem. Eiusmodi fidem non aliam & tu habebas cum ab Episcopo vnctionem acciperes & omnes alij vngentes simul & inuncti sic sentiebant & non aliter de Christo ideò à Christo tanquam crudeli iudice confugiebatis ad Sanctam Mariam & Sanctos, Illi erãt mediatores inter vos & Christum. Sic erepta est gloria Christo hoc neque tu neque alius Papista vllus poterit inficiari, ergò vncti estis consecrati & rasi & sacrificastis in Missa vt gentiles Ethnici nõ vt Christiani. *Quomodo ergo potuistis in Missa consecrare, aut veram Missam celebrare?* Et postea ibidem fol. 229. b. *In his* angustiis in hoc agone contra Diabolum volebam hostem retundere armis quibus assuetus eram sub Papatu, obiiciebámque intentionem & fidem Ecclesiæ, scilicet quod Missas priuatas in fide & intentione Ecclesiæ celebrassem. Etiam si ego (inquit) non rectè credidi aut sensi tamen in hoc rectè credit & sentit Ecclesia, Verum Satan è contra fortiùs & vehementiùs instans, age (inquit) Prome vbi

ſcriptum eſt, quod homo impius incredulus, poſsit adſiſtere altari Chriſti & conſecrare ac conficere in fide Eccleſiæ vbi iuſsit aut præcepit hoc Deus? Quomodo probabis quod Eccleſiæ intentio id tibi impartiatur ad hāc tuā Miſſam priuatam? Si nūc verbum Dei nō habes, ſed homines *haec docuerunt ſine verbo, tunc tota doctrina eſt mendacium: En audaciam veſtram!* Rurſus in fine Diſputationis fol. 230. *Confeſsus quidem ſum lege Dei conuictus coram diabolo me peccaſſe, me damnatum eſſe vt Iudam ſed verto me ad Chriſtum cum Petro.* Hactenus Martini cum Diabolo Dialogus. Quis autem tam ſolertis ingenij acumine deſtitutus, quis obtuſo quantumuis iudicio inuenietur qui non dilucidè norit ex hac impudentiſsima Lutheri Monologia vel Dæmonem authorem eſſe contumeliarum omnium, quæ in ſacrum Miſſæ Sacrificium ſparſit Lutherus, vel ipſum Lutherum ab eo hauſiſſe huiuſcemodi blaſphemiarum rudimenta, quæ modo per varios orbis ſinus fanatica impoſtura edocta ſunt? Mendax enim eſt (ait Chriſtus) & Pater eius, Ioan. 8. Sicútque Deus vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Sic dæmon vult omnes damnari & ad falſitatem perduci, quia in eo veritas non eſt. Ioan. 8. Ex hoc ſequitur apud me ingens admiratio, quomodo dum talia verba legunt homines poſsint vel ad momentum in eius monſtri doctrina permanere. Annon perſpicuum eſt omnino perire eos velle qui Pſeudodoctoribus iſtis & Miſſæmaſtigis perfidiſsimis aurem voueruntt? Quis enim niſi demens credet Dæmonem (qui authore Petro aduerſarius noſter eſt, & tanquam Leo rugiens circuit querens quem deuoret) veritatem diſcipulo Luthero prædicaſſe quo pararet illi viam ſalutis? Sed quomodo reſiſtendum erit Diabolo, vt fugiat à nobis iuxta Iacobi præceptum, ſi veritatis reperiatur præco? Væ deploratiſsimo iſti ſæculo, quod tantum ſcelus ferre non pudet.

Luterus à dæmone edoctus. — *1. Thimot. 2.* — *1. Petri 5.* — *Iacobi 4.*

Ecce hæreticas cohortes variis mutuiſq; diſsidiis altercantes, ſed in hoc conſentiunt & fœdus ineunt vt liberè & impotenter ſæuiant in precioſum Chriſtiani nominis Margariton hoc eſt Sacrificium quo nihil vel maius vel dignius eſſe poteſt. Sed videamus quo furore, inani quamuis,

dis, quóve impetu comitentur, quibúsve armis inexpugnabile Ecclesiæ & fidei Catholicæ Sacrificium oppugnent. Instructa est acies, telis iaculatur & in nos nunc furit. Opponamus virilem frontem effronti huic cohorti nostrum in primis Sacerdotium rabidè aggredienti. Clamant siquidem vnicum fuisse Sacerdotem qui vnicam crucis hostiam obtulit ex eo quod de ipso scriptum est. Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec. Hoc argumentum consequentiam superstruit, nec est absimile iis quæ concludunt ex eo quod Pater dixit. *Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui, ipsum audite*, vel de quo Ioannes vaticinatus est. *Hic est qui baptizat*, quemque Petrus animarum Pastorem & Episcopum vocat, alium quempiam minimè audiendum esse in Ecclesia, neminem baptizantis officio iungi posse, nullúmque in terris suscipiendum pastorem præter Christum, de quo superiora hæc omnia delata sunt. Quo pacto funditus euertunt omnem ordinis Ecclesiastici Ierarchiam quam tantopere ipse commẽdat. Verum enimuerò ne diutius serpat hæc falsissima opinio in humanis pectoribus, regula hæc pro summo antidoto recipienda est, nimirùm quod vbi in sacra scriptura aliquid reperitur hominum facultatem excedens collatum esse Christo, eiúsque ministris, illud sic interpretari debet, vt primaria authoritate conueniat ipsi Christo, hominibus verò seu ministris & Sacerdotibus commissione & priuilegio. Nihilominus tamen is semper est qui perpetuò per suos operatur, qui loquitur, qui baptizat, qui abluit, qui remittit peccata, qui consecrat, qui regit & gubernat populum tanquam Dominus & magister, aliquando per seipsum immediatè vt quando terram apud nos habitabat, aliquando per seruos & ministros vt post ascẽsum suum in amplissimã cœli regiam. Cauendum est à præsumptione illa qua nemo nisi penitus insulsus & ineptus præpediretur homines suapte potentia talia perficere cum ex Christo omnia ista dependeant qui summus est Sacrificus: Sacerdos duntaxat Minister hic verba profert, ille sua gratia diuina res consecrat & viuificat. Itaque cum Dauid & Apostolus Christum Sacerdotem in æternum dixerunt,

Matth. 3. & 17. Ioan. 1. 1 Pet. 2.

non est quod pro leuissimi sensus arbitrio hæretici illud aucupentur in hæresis defensionem quod nullum supersit nobis Sacerdotium, nam hoc vaticinium non respicit ad fructum perpetuum Sacrificij crucis, qui Christo etiam in cœlis assistente & intercedente pro nobis in Ecclesia colligitur: sed ad Sacrificium quod nunc etiam Christus, Sacerdos magnus principaliter & ministri etiam Sacerdotes sub Christo & per Christum offerunt in Ecclesia. Neque enim inquiunt longè rectius quam Pseudoeuangelici isti maiores nostri de ea quæ à Deo semel facta est oblatione & hostia dixisset Apostolus, *In æternum*, sed respiciés ad præsentes Sacrificos, per quos medios Christus & Sacrificat & Sacrificatur qui etiam mystica cœna modum illis tradidit huiusmodi Sacrificij. Et sane ipsa phrasis scripturæ huic interpretationi suffragatur. Nam vt ineptè diceres Petrum (exempli causa) etsi cósulatum amplius non gerat tandiu tamen consulem esse quandiu perseuerat in ciuitate opus, quod ipso curante, sui consulatus anno perfectum est. Ita incommodè à Dauide & Apostolo *Sacerdos in æternum* Christus diceretur si tantum significare vellent Sacerdotij & Sacrificij fructum, quo ille semel functus est permanere semper & non etiam semper ipsum vsque ad consummationem sæculi per suos ministros Sacrificium offerre. Inde deridiculum proponunt argumentum tale, Christus est Sacerdos in æternum, ergò necesse est, vt iugiter offerat in Ecclesia. Quemadmodum & si plebeius quispiam apud nos monstrato aliquo Sacerdote diceret, Is Sacerdos est quoad viuit, ergò necesse vt per omnem vitam sacra peragat cum non paucos videamus qui nunquam vel rarò altaria tangant. Aut si quis ineptus garriret etsi quis Magistralem lauream amplius non exornet tandiu tamen Magistrum esse quandiu perseuerat officij ratio & exercitium in Schola, quod ipsius opera, suæ Præfecturæ anno expletum est. Ita minus prudenter Dauid & Apostolus Christum Sacerdotem in æternum dixissent, si tantum significare vellent Sacrificij & Sacerdotij fructum quo ille semel functus est permanere semper & non etiam semper ipsum vsque ad consummationem sæculi per suos

Futilia argumenta hæreticorum in Christi sacerdotium.

ministros

ministros Sacrificium offerre. Reclamant tamen aduersarij Stentore vocaliores & dicunt si alios cõstituamus Sacerdotes iniuriã fieri Christo qui est solus Sacerdos, neq; est Sacerdos alius neq; aliud Sacrificium. Nos verò qui altius sapimus argumenti rationẽ negamus antecedens, Christus enim est Sacerdos summus, cæteri ipsius ministri atque vicarij. Vt igitur nulla irrogatur iniuria regi, si multos dicitur habere ministros & vicarios, ita neque Christo, si plures dicãtur sub ipso esse Sacerdotes. Quos peculiari delectu ex credentiũ cœtu deligendos esse prædixit Esayas his verbis; *Et assumam Sacerdotes ex eis & Leuitas dicit Dominus.* Esa. 66. Hi verò Sacerdotes iuxtà Malachiæ vaticinium 3. cap. *Erunt Domino sacrificia offerentes iustitiæ.* Cui subscribit Ieremias 3. cap. *Non interibit vir à facie mea qui offerat sacrificia in iustitia & placebit Domino sacrificium Iuda & Israel.*

His, claudicantibus argumentis assueti varios congerunt Pauli locos ad asserendam oblationem omnium Sacrificiorum extinctam esse quos tamen perperam intelligunt. Seipsum inquiunt semel obtulit *Christus factus pacis nostræ desideratissima hostia,* Heb. 7. *Non habet quotidie necessitatem offerre. Hoc enim semel fecit seipsum offerendo* Heb. 9. *Semel oblatus est ad exhaurienda peccata.* Heb. 10 *Hic vnam pro peccatis offerens hostiam in sempiternũ sedet in dextera Dei, de cætero expectandum donec ponantur inimici scabellũ pedum suorum.* Item *vna oblatione consummauit in æternum sanctificatos.* Item *voluntariè peccantibus iam non relinquitur hostia pro peccato.* Hic pulchrè petulantissimi isti scripturæ sacræ interpretes videntur de victoria iam contendere, quos tamen Palinodiam canere, & cum orthodoxis Patribus cõsentire, modo inuitos etiã cogemus, discussa sigillatim cuiuslibet authoritatis medulla. Nam si examinemus verba Apostoli, illũ conferre videbimus sacrificiũ crucis cruentum cum veterum Sacrificiis cruentis quibus iterãdis opus erat, quod nulla illis vis inesset, qua possent aboleri semel male admissa Christo autem nulla necessitas, quo se ipsum frequenter per mortem offerat, id quod semel fecisse abundè satis est expiandis omnium culpis. Habet enim vnicum hoc Sacrificium vim quandam sempiternam & nunquam finiendam. Sed

Heb 7. Varij loci ex Epistola diui Pauli perperàm extorti ad haereticorum mentem.

Heb. 7. 8. 9. 10.

hoc saltem efficitur per Missæ Sacrificium vt quod perfecit Christus in cruce, id nobis singulis applicetur: Illic pretium est solutum pro peccatis omnibus, hic nobis impetratur huius prætij applicatio. Quod orationibus quoque in Ecclesia præstatur, quibus rogatur Deus vt efficiamur participes passionis Christi, hoc est vt quod Christus emit, soluítque passione & morte sua, id ad nos accomodetur, nobisq; donetur. Semel itaque Christum sese obtulisse idem est quod semel mortuum esse in cruce. Atque hunc sensum vel tenor ipse verborum administrat. Nam cum dixisset non opus illi fuisse, vt sæpè seipsum offerret, illicò adiecit. *Alioquin oportuerat eum frequenter pati ab origine mundi.* Cùm hoc autem minimè pugnat quod quotidie à nobis in mysterio siue in eo quod Christus ipse instituit Sacramento, offerri dicitur. Ad summam semel oblatus est Christus in seipso, id est in propria carnis forma, quotidie immolatur in mysterio seu specie aliena. In hoc itaque *semel* est error, omnísque adeò stultitia aduersariorum quod inter crucem & mysterium nõ discernunt. Cogúntque purum scripturæ sacræ candorem eorum fauere dementiæ. Nam quod Paulus de vnico Christi Sacrificio, eóque cruento scripsit, volunt referri ad omnia Sacrificiorum genera, sed longè aliud opinarentur si crasso ignorantiæ velo fugato, niueum sacræ scripturæ lilium suis tenebris non offuscassent, & cum communi totius Ecclesiæ sententia inter Sacrificium quod in ara Crucis oblatum est vndique scaturientibus preciosi sanguinis riuulis & illud quod ἀναίμακτον, id est, incruentum dicitur aliquid discriminis scitè constituissent. Primum oblatum ad satisfaciendum Patri offenso, persoluendúmque precium in expiationem antiqui criminis quo protoparentes Adam & Eua ac Patrum nostrorum posteritas nobiscum contraxerat. Secundum verò efficaciam potentissimam orationis amplectitur, vt per Christi illic verè & realiter præsentis mortem repræsentatam ea nobis applicentur & donentur quæ Christus patiens semel pro nobis in cruce morte sua consequutus est. Sed aduersarij priscam nostram fidem multum attriuisse existimant,

Error, in quem stupidè impingunt hæretici.

Incruentum Sacrificium.

ſtimant, nóſque ranis Scriphiis ſimiles obmuteſcere putant obtruſo inani iſto argumento. Sacrificium quod Chriſtus perfecit perfectum & ſufficiens fuit, nec ideò reiterationem patitur, quod ſi quis audacius id conatur, maximè derogat eiuſdem virtuti & potentiæ, nec blaſphemiæ indignum ſcelus vitare poteſt, quaſi plura Sacrificia expiandis peccatis inſtituerentur, vel maioris meriti aliquid ad ſalutem reſtaurādam excogitaretur. En pulchrum verborum inanium commentum! ipſo mendacio mendacius. Quis enim Catholicorum credit Chriſtum in Miſſæ Sacrificio iterū cædi, cruciari, & mactari, vel hoſtiam offerri in augmentum meriti cruenti illius Caluariæ Sacrificij, vt falſò fabulantur Caluiniani aſſeclę? Abſit rerum ſanctiſſimarum confuſio. Nos iuge iſtud Sacrificium in commemorationem illius cuius paſsio deleuit antiquum generis humani debitum offerimus, vtrumque tamen Sacrificium vnum eſt in ſubſtantia: & eiuſdem & vnicæ hoſtiæ quæ differt ſolummodo in ratione oblationis. Idem eſt enim Sacrificium, idem corpus, & ſanguis idem: Differentia verò eſt in modo & fine. Illic enim Chriſtus per veram ſanguinis effuſionem reuera occiſus fuit, & mortuus de cruce pependit, ſanguine ipſo à cruce ſeparato: hic eſt tantùm illius mortis repreſentatio viua & vera. Nec iterū offertur à Chriſto vel à Sacerdotibus ſub Chriſto ad humani generis redemptionem *vna enim oblatione conſummauit in æternum ſanctificatos*. Hoc autem minimè obſtat quominus corpus Chriſti offeratur *Ad percipiendum fructum redemptionis, nimirum remiſsionem peccatorum*. Ipſa enim veritas hoc docet quando ait. *Hic calix ſanguinis mei qui pro vobis fundetur in remiſsionem peccatorum, hoc facite*. Ergo ex Dei decreto eſſe Sacrificium propitiatorium maiores noſtri poſt Chriſtum & Apoſtolos docuerunt. Cæterùm non ignoramus quin ſcriptura apertè doceat & Sacrificiorum, oblationúmque & Sacerdotum veteris legis multitudinem Chriſti aduentu, abolitam eſſe ac ceſſare, Chriſtúmque ſeipſum ſemel immaculatum Deo vnam victimam pro peccatis noſtris obtuliſſe, ſed dicimus illam hoſtiam fuiſſe cruentam, nimirùm Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum in ara crucis

Aliud hæreticorum argumentum.

cis ſemel pro peccatis totius mundi oblatum ſed præter illam hoſtiam cruentam, aliam agnoſcimus incruentam à Chriſto inſtitutam corpus ſcilicet & ſanguinem eius ſub ſpecie panis & vini. Sed hoſtia cruenta & incruenta vt diximus non ſunt duæ ſed vna hoſtia, quia res vtrobique eſt eadem, nempe ipſum corpus Chriſti. Non eſt alius ſanguis non aliud corpus Chriſti quod offertur, quod litatur in Sacrificio incruēto nihil diſtat ab eo quod in ara crucis mactatum eſt, licet modus hanc vnam eandemq; hoſtiam immolandi, alius ſit. Nam ille prior immolandi modus in cruce fuit cruentus, iſte verò quotidianus modus eſt incruentus non in propria ſpecie per corporis fractionem & ſanguinis effuſionem, ſed ſub ſpecie panis & vini oblatum in cruce Chriſtum immolatitio modo repræſentans. Ex parte ergò rei oblatæ (licet ex parte modi offerendi ſit diuerſitas) hoſtia cruenta & incruenta vnica eſt, neque propriè loquendo poſſunt aſsignari duo Sacrificia, aut duæ hoſtiæ ac oblationes eſſe in Nouo Teſtamento, ex hoc quod eſt in eo hoſtia incruenta Chriſtus in altari. ſed eſt vnica hoſtia ſemel oblata in cruce perſeuerans modo immolatitio, quotidiana repetitione ex inſtitutione Chriſti in Euchariſtia. Porrò hanc perſeuerantiam hoſtiæ in cruce oblatæ, non fingimus in altari, ſed quia eadem eſt res oblata, in cruce & in altari. Quia enim vnum atque idem Chriſti corpus eſt, quod oblatum eſt in cruce & quod offertur in altari, conſtat non eſſe aliam hoſtiam in altari & in cruce, ſed eam quæ in cruce oblata eſt ſemel, perſeuerare, licet alio modo in altari, mandante Chriſto, & dicente: Hoc facite in mei commemorationem. Si namque iunxeris hæc duo (videlicet, *Hoc facite*, & *in mei memoriam*) comperies vnum atque illud, quod tunc fiebat, nos facere in Chriſti memoriam, quod eſt illud vnum atque idem, quod tunc frangebatur, & effundebatur perſeuerare ſub ſpecie panis & vini in memoriam Chriſti. Sed & hoc adiiciendum eſt in nouo Teſtamento vnicum eſſe Sacerdotem Chriſtum, etiam in noſtro altari. Nam Sacerdotes miniſtri Domini, non in perſonis propriis ſed in perſona Chriſti conſecrant corpus & ſanguinem

Hoſtia cruenta & incruenta vna & eadē eſt hoſtia quæ diuerſo modo immolatur.

nem Christi vt verba consecrationis testantur, ac per hoc vices Christi agentes offerunt. Non enim dicit Sacerdos, *hoc est corpus Christi*, sed *hoc est corpus meum*, faciendo sub Christi persona, sub specie panis corpus Christi iuxtà mandatum Christi *hoc facite*,&c. Ex quibus omnibus constat eiuscemodi incruentum Sacrificium constituere, non debere æstimari grauissimum animi morbum & quauis infamia potiorem, sed sanam & Catholicam doctrinam, neque per hoc vllam fieri iniuriam æterno Christi Sacrificio sed summam eidem exhiberi reuerentiā quod fiat ex institutione Christi & mandato.

Veruntamen hæretici, qui ex pumice aquam haurire volunt & ψευδοδικταμα in saluberrimum medicamen conuertere putāt, cauillatorium aliud argumentum instruunt, & nos insimulant dementiæ & ineptitudinis quod minus exactè profiteamur intelligentiā Pauli asserentis *voluntariè peccantibus iam non relinqui hostiā pro peccatis*. Sed si intueamur Apostoli mentem, facilè dictum interpretabimur in eos qui post acceptam notitiam veritatis propensiores feruntur ad vitia, peccantq́; peccato ad mortem de quo Iohannes ait *non pro eo dico vt roget quis* 1. Ioan. 5. quia nō remittetur eis vt scribitur Matth. 12. Marc. 3. Luc. 12. quibus non equidem relinquitur hostia, è conuerso vt ex vno contrario doceamus alterum, simul docuit relinqui hostiam non volūtariè peccantibus, id est, non peccantibus peccato ad mortem. Cum enim illis excommunicatis, pertinacibus, & laxis habenis ad scelera furentibus, non hostiam, sed terribile iudicium relictum esse dicat, sequitur vt quos fidei gratia & salutis cura sollicitat, etiam munda illa oblatio pro sanctissimo expiationis modo relinquatur. Aduertendum est pariter Apostolum non dixisse qui *voluntariè peccarunt*, quia sæpenumero tales cum Petro & Paulo ad maiorem gratiā resurgunt, sed *voluntarie peccantibus*, id est, qui voluntariè peccant, qui mordicus peccatis inhærent, sine pœnitentia quique immemores sunt acceptæ veritatis & fidei lucis, istis enim aditus ad hostiam negatur, nec pro illis offerri debet. Idcirco sacra oblatio illis non relinquitur, quemadmodum & cruentę illius meritis expelluntur,

E salutaribus pharmacis venena elicium hæretici.

Authoritas Pauli non patrocinatur hæreticis pro quibus non reiecta est hostia.

ita & incruentæ, nemo enim huius mysticæ hostiæ fieri potest particeps quin sit cruentæ illius in Cruce, cũ sit vna eadémque hostia, neque rursus illius cruentæ potest esse particeps, quin sit pariter huius mysticæ. Sed quia hęc mystica in memoriam illius cruētæ & ad participandum fructum ipsius instituta & relicta nobis est, idcircò scribit Apostolus, *Voluntarie peccantibus post notitiam veritatis non relinqui hostiam pro peccato*, illam enim quotidie hostiam offerimus εἰς ἐπιστροφὴν καὶ μετάνοιαν τῶν πιστῶν. in conuersionem & pœnitentiam fidelium. Legant antiquos omnes Patres Pseudologi isti Hæretici, & me pro nebulone & impostore habeant si hac ratione intellecta apud ipsos verba Pauli non interpretentur. Aliud frigidissimum coagulant argumentum, quod non sine maxima summo Christi Sacrificio iniuria credamus, Missam esse Sacrificium Propitiatorium, quasi in nostri reconciliationem & salutem, primum sufficiens non extiterit. Quod si aliquid haberet momenti apud fideles omnes hæc conclusio, radicitus euellenda essent quamplurima pia opera quæ scripturæ testimonio & salutaria & propitiatoria censentur. Vt Baptisinus, Martyrium, Eleemosyna, Charitas, & Pœnitentia, quibus omnibus applicato Christi merito potiri possumus propitio Dei fauore in peccatorum nostrorum abditionem. Verumtamen operæpretium erit cautiores reddere lectores de varia Sacrificij nominis vsurpatione, ne impingant ad hæreticorum commenta quorum depulsio, argumenti solutionem non nihil iuuabit. Volunt enim isti incruentum, Eucharisticum laudis hostiam, appellationi Sacrificij à patribus addi, vt rei veritatem & propitiationis abundantiam imminuant, vocémque communem & impropriam reddant, vt queat referri ad omne illud quod vel actione, vel voce in honorem Dei & gratiarum actionem peragitur. Cuiusmodi sunt preces, Euangelij prædicatio Eleemosynæ & Sacramenta, quæ omnia apud ipsos etiam incruenta sunt Sacrificia, quia ea sicut omnis adoratio in Spiritu & veritate, sanguine carent. Mirum profectò impudentiæ portentum! cum non possint ignorare veteres fecisse ista duo vocabula huius solius Sacrificij propria, licèt illud

Sacrificij vsurpatio.

illud Euchariſticum natura poſsit in omnia Deo grata opera ac voces referri. Probauimus enim paulò ſuperius ipſum opus peragi Eulogia ac Euchariſtizatione panis, ſuper quem Dominus gratias egit, vt ipſa elementorum benedictio ſit ſacrificalis gratiarum actio, in qua propriè Deus poſuit Memoriam mirabilium ſuorum, inter gentes & nominis ſui cultum ſupremum, nulliq; alteri proprium aut commune, ac glorificantem, cum ex eo apud Malachiam conteſtatur, ſanctum fore nomen ſuum in omni loco, ibidem illud repetens ad vaticinium Sacrificij noſtri *Magnum nomen meum in gentibus.* Dei enim proprius honor & ſupereminens laus, gratiarúmque actio infinita qualem ſingulariter requirit, ſolum in ſummo hoc Sacrificij cultu ſemper ſita eſt, nec extra hoc admirabile officium vllis operibus noſtris plenè ac dignè fieri potuit, hoc nunc præſertim gratiæ tempore. Quo effectum eſt vt Eccleſia Dei huiuſmodi Sacrificij ſacri ritibus à Chriſto & Apoſtolis erudita ad laudem, ad gratiarum actionem, ad propitium impetrandum fauorem & ad peccatorum medelam illud adhibeat & offerat, adeò vt qui non confiteatur Miſſam offerri pro peccatis idem neget Chriſtum pro peccatorum expiatione paſſum & mortuum. Cuius veritatis nos commonefactos, ſatisfaciunt ipſa Sacrificij verba, vbi dicitur corpus pro nobis tradi, & ſanguinem fundi in remiſsionem peccatorum. Quæ ſanè clauſula non ſolum conditionem Sacrificij exprimit, verumetiam vſum comprobat & declarat illius actionis quæ in cœna peragebatur. Vel etiam ex eo ſolo quod noſtri Sacerdotes non habeant aliud Sacrificium quod poſsint offerre pro peccatis cùm tamen Paulus ad Hebr. 5. generaliter tradat. *Omnem Pontificem conſtitutum eſſe vt offerat dona ac Sacrificia pro peccatis.* Nec abſre his verbis neceſsitatem quotidiani huius Sacrificij oſtendit, ex eò quod quotidie peccamus & indies indigemus remedio ſacrificali quod vanum & inutile eſſet ſi ad peccatorum remiſsionem applicari non poſſet.

Dicamus ergo Miſſæ Sacrificium eſſe veluti labrum per quod virtus paſsionis Chriſti in nos effluit, illud quoque meritò propitiatorium dici, variiſque modis, vel in

 quantum

quantum est causa meritoria propitiationis & reconciliationis, vel in quantum modus est, quo prius cruentum nimirum nobis applicatur. Quemadmodum Emplastrum siue ἐμπλαστικὸν φάρμακον vulneris sanandi vim continet in se modo vt illi apponatur, & cibus, alendi & sustentandi corporis vires facultatem habet si sumatur, vtrumque autem effectum quo tendit, consequi nequit; nisi applicetur, Sic & passio Christi ad placanda cœlestia numina propitiúmque reddendum Deum summopere sufficit, sed id nobis nunquam adipiscitur, nisi modis ad id destinatis & constitutis vt pote Sacramentis Baptismi, Pœnitentiæ, & fidei operantis in charitate nobis non applicetur. Munus autem huiusce applicationis solius est Christi, qui meritum suæ passionis largitur hiis pro quibus offertur sanguinis & corporis diuini hostia, quæ omnem effectum sortitur ex opere operato virtute nimirum & efficacia illius operis non ipsius Ministri. Sed vt Sophistæ aduersarij omnibus modis ad metam vsque premantur eos scire cuperem, quam temerè hic & illic tergiuersentur explorando Sacrificij conditionem. Si enim illam Christi cœnam, Sacrificium fuisse credunt, mox etiam fateri cogentur esse non solum Eucharisticum vt nugatur Caluinus, verumetiam ἱλαστήριον vel ἱλαστικὸν, hoc est, propitiatorium & reconciliatorium. Quod quidem solo hoc argumento ostendemus. Vniuersa quæ lex olim tam variis ritibus coluit Sacrificia, ad quatuor capita redigantur Sacrificiorum & oblationum, nempe ad holocaustum quo Deus à nobis omni honore, pro suo merito dignissimus agnoscitur, ad Sacrificium & oblationem quæ ad gratiarum actionem pertinet ad pacificum siue σωτήριον quo noua subinde postulantur, & pro peccato, quo veniam impetramus, hæc omnia nostro contineri Sacrificio, nemo non obseruare potest. Nam ad hos fines respiciunt certæ precationum formulæ, quas collectas dicimus, & ipsa actio seu canon hoc ipsum arguit, qui statim post viuorum cõmemorationem addit. *Et omnium circunstantium*; scilicet memento *pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis pro se, suisq́; omnibus, pro redemptione animarum suarum*, ecce finem propitiatorium

Missa Sacrificium propitiatorium.

tiatorium *pro ſpe ſalutis & incolumitatis ſuæ*, vide ſcopum hoſtiæ pacificæ, *tibiq́ reddunt vota ſua æterno Deo vero & viuo*, vbi manifeſta eſt holocauſti ratio. Non ſine intolerabili Blaſphemia, ideo Nouatores putant Sacrificium iſtud duntaxat Euchariſticum eſſe, ab eo virtutem propitiationis ſeparantes, quia longè inferius orationi cõſtituunt, quaquidem quæ petimus exoramus; aut ſaltẽ dicant illud eſſe inſtar orationis impetratoriũ propitiationis, nam quod voce poſtulatur hoc externo ſacrificio adipiſcitur. Sed inquient ad antiquum cuniculũ refugientes Nónne Chriſti Sacrificium omnia compleuit? Quidni? Verùm vt illud per ſe potentiſsimum eſt, ac ſufficiens, ita quibuſdam noſtri cauſa, fiſtulis & Epiſtomiis indiget. Alioqui tametſi perfidus, & anathema ſit qui negauerit factam à Chriſto cunctorum expiationem: Apoſtolus tamen non dubitat dicere *omnia ſe facere pro electis, vt & ipſi ſalutem conſequantur*, & alibi ſe multo confidentiùs aſſerit ſe *adimplere ea quæ deerant paſſionibus Chriſti*. Quid hæc ſibi volunt ſi Chriſtus nil reliquum fecerat? An Paulus neſciebat omnia in cruce conſummata? Optimè, ſed gnarus riuulos quoſdam adhibendos eſſe, quibus hoc meritum in nos deriuetur, ſcitè talia loquitur. Rurſus cap 7. *Chriſtum ſedere ad dexteram Patris, & interpellare pro nobis*. Quas tu Paule narras interpellationes poſthumas? neſcis cuncta eſſe peracta ſemel? Nemo dubitat. Chriſtus omnia perfecit, neque tamen inutiliter baptizamur. A baptiſmo relapſis, nullus eſt orthodoxus, qui pœnitentiæ remedia ſuperuacanea eſſe ducat. Idem de reliquis Sacramentis ac de iſto potiſsimùm quo certiùs nihil eſt ad hauriendum theſaurum Crucis, niſi noſtra vel infirmitas, vel remiſſus animus, flaccidáque deuotio fraudi nobis eſſet. Quo inquam nihil vel ſalubrius vel elegantius, vel venuſtius & honeſtius. Procul abeſt pædor omnis, nidor & cruor, nec preter mũdiſsimum nitidiſsimúmque panem ac vinum, quod Deum ac hominem delectat, offertur, denique quod vitio nullius miniſtri contaminari queat. Si enim oratio quæ eſt ſpecies Sacrificij ſuaptè efficaciſsima ſit abſque miniſtri meritis, eam pro populo fundentis ad impetrandam ſcelerum abolitionem,

Coloſ.1.
2.Thim.2.

nem, & parandam reconciliationem. Etsi Sacrificia antiquæ legis sordes peccatorum purgabant eorum præcipuè pro quibus offerebantur, Missæ profectò cæteris omnibus potentius quod non agnorum hircorum, aut taurorum immolatione sed pretioso Christi corpore constet ad omnia promerenda beneficia censebitur. Et ideo piæ matris nostræ Ecclesiæ iussu admonendi sunt peccatores omnes etiam cùm adhuc peccandi affectum non exuerint, vel qui ex infirmitate continuo offendunt lætaliter, vel altare tamen non deserant, sed frequentissimè Sacrificium pro remissione ac conuersione procurent.

Catholici & Christiani Sacrificij frequens reiteratio.

Audio iam tandem propter hanc sacrificij frequentiam quosdam impiè scrupulosos stomachari, & indignè ferre quod toties à Catholicis reiteretur. Mirari tamen desinent & sedatiùs eorum compescentur iurgia si intellexerint maiores nostros pium illum ritum frequentissimè ex cap. Hebr. 10. probasse. Nam in priscorum Sacrificiis non erat eadem semper victima, sed alia, & alia; nunc bos, nunc hircus, nunc agnus, nunc taurus, neque poterat bis idem vel hircus vel aries mactari, itaque nil mirum, si energiæ nil habuerint singulis diebus repetitæ diuersorum animalium iugulationes, quod ad remissionem peccatorum attinet. At in nostro Sacrificio secus se res habet in quo licet non eadem cernatur facies, eadem tamen est victima, quæ nunc à Sacerdotibus per totum orbem offertur cum ea quæ olim pependit in cruce, nisi quod hîc incruenta illic cruenta. Circumiecta amicula diuersa sunt, interim sub iis latet idem, qui tum se Deo Patri offerebat. Deinde, cum sit hæc eadem victima quæ in cruce procurauit omne prætium & meritũ facilè est discernere distinctionẽ huius ab hostiis veteris legis quæ per se nihil efficiebant. Celebratur ergo Missa tanquam vehiculum remissionis peccatorũ per Christum in cruce factæ, ita quod quemadmodum non est alia hostia, ita non aliam adfert remissionem peccatorum. Nam quemadmodum Christus per proprium sanguinem penetrauit cœlos perseuerans Sacerdos ad interpellandum pro nobis, ita perseuerat nobiscum per Eucharistiam immolatitio modo intercedendo pro nobis.

Sicut

Sicut enim sufficientia & efficacia summa Sacrificij in ara crucis non excludit perseuerantiam Christi in cœlis in officio interpellandi pro nobis, ita non excludit perseuerantiam eiusdem nobiscum immolatitio modo, ad intercedendum pro nobis. Nam quemadmodum continua intercessio Christi pro nobis in cœlo non derogat vnicæ intercessioni mortis Christi, ita non, eidem derogat perseuerantia Christi immolatitio modo ad intercedendum pro nobis; vt participes simus remissionis peccatorum in ara crucis factæ, quandoquidem ista intercessio fit per mysterium sub specie panis & vini, illa autem in cœlo fit per Christum in propria specie, in qua crucifixus est. Morte quidem Christi hactenus facta est peccatorum remissio quod sempiterna quædam vis sit passionis eius, relaxandis pœnis, absoluendisq; peccatis. Verùm ea vis in Sacramentis vel maximè sese exerit, vt frustrà speres fructum aliquem ex morte Christi ad te rediturum, quam per fidem & sacramenta re ipsa vel voto percepta. Vt autem in cæteris sacramentis ita in Eucharistiæ quoque Sacrificio præsentissima quædam virtus Dominicæ mortis magnificè sese ostendit omnium charismatum Amaltheon quoddam nobis suppeditans, & omnem nobis elargitur sacrorum munerum absolutissimum thesaurum. Penelopes (vt inquit Parœmia) viderer telãretexere si phreneticorum aduersariorum somnia recensere conarer, quæ quotidie transmittunt ad deludendam rudem plebeculam in grege Catholico demissam. Sed nos qui sapientius edocti sumus in veritatis schola, non minus curare debemus fanaticorum imposturas quam Aquila Scarabæos, sunt enim fluctus qui olympum montem æquare putant sed in ipso impetu franguntur. Sub alis Christi Ecclesiæ tutissimi paruifacimus horrenda illa calumniarum fulmina, & nobis congratulamur, tam insigne pignus amoris diuini, Sacrificium nimirum incruentum habentibus, quo nihil vel Deo magis gratum vel sanctius excogitari potest, nihílque quod celerius pœnitentes ad recuperandam gratiam euehat. Offertur siquidem pro iisdem causis & personis, pro quibus oblatum esse in cruce creditur.

In missæ Sacrificio præsentissima virtus Dominicæ mortis.

Taceant

Taceant itaque Impudentissimi nostri nugatores, qui aduersus Prophetarum oracula, contra Christi verbum, & Apostolorum cultum imò contra omnem veritatis tutelam & sanctissimorum testium authoritatem, traducunt sacrum istud mysterium, quasi nec à Christo institutum nec Christo acceptum, imò Christi morti & passioni ex diametro repugnans & contumeliosum existat, tantùm à posterioribus Papisticis Sacerdotibus & Monachis ob proprium questum & nundinationes pecuniarias fabricatum & excogitatum incipiunt statum mutare, & hoc Sacrificium illius notæ, quæ illi impiè simul & mendaciter ab Hæreticis impingitur, suspectum habere, atque tandem & ipsi illud ipsum non apud semetipsos solum sed & in publicis congressibus, imo etiam in publicis concionibus execrari & horrendis contumeliis proscindere, aut si hoc publicè ne mendaces iudicentur auditoribus facere non audeant, famosissimis libellis nihil præter virulentam maledicentiā spirantibus exaggerant. Ex iis autem quæ nos carptim adduximus illos saluti consultores & resipituros existimo, & hoc sacratissimum Sacrificium in posterum veneraturos spero. Accingamur iam tandem ad Eucharistiæ dignitatem recensendam Christi præsentiam in altaris Sacrificio probandam bonis auibus insudemus.

De reali presentia corporis Christi in Sacramento altaris.

Fluctuantes plurimorum animos in fidei soliditate confirmare, magni ingeniíque esse laboris nemo non ignorat, sed in Christiani Sacrificij veritate multos aberrantes, & Sathanæ Imposturis delusos docere, illius qui Christo mentes lucrifacere contendit, officium esse meo videtur iudicio Nunquam priscorum ætas, infensiores hostes tulit quam nostra, quæ irruentibus vndiq; hæreticorum monstris torquetur, & angitur. Leuius esset Augæi purgare stabulum quam tantarum opinionum sentinas, quæ nullum sibi pollicentur scopum, quàm Christi in Ecclesia Catholica deturbare authoritatem, nósque & Acephalos, & ipsis Iudæis miseriores, sine Sacrificio, sine fide reddere conantur. Verumtamen aperto Marte sacris cohortibus stipatus, Christo duce ostendi, nos nec carere iugi Sacrificio, nec hostia munda quæ offertur ab ortu solis vsque ad occasum

quotidie

quotidie & perpetuò. Negant autem eam purã esse in qua corpus Christi non continetur, in cœlis ad dexteram Patris sedens. Miror mendaces istos immemores, quod confessi sunt Christum in cœna obtulisse Sacrificium Eucharisticum, & illud faciendum iniunxisse Apostolis. Si enim preces & gratiarum actiones, ac panis & vini ad cœnam deputatæ species, reliqua etiam quæ in illa distribuuntur Sacrificij nomen æquè sortiuntur, quanto magis corpus & sanguis Domini offeretur, quibus nihil preciosius existit & longè exuperat panis & vini pręstantiam, eáque omnia quę vel eleemosynis, vel bonis operibus cõstant? Quod si illis tãtum litaremus, imitaremur profecto Cainum, qui stipulosum & vile paleis peioribus sacrificium Domino obtulit in ipsa mundi infantia. Natura ipsa docemur, Deo vtiq; meliora & præstantiora offerenda esse, maledicitúrq; a Domino per Malachiam primo cap. *Dolosus qui habet in grege suo masculum & votum faciens immolat debile domino aut cæcum vel languidum.* & certum est, nihil nos in hac vniuersa rerum varietate habere, vel melius, vel carius, vel dignius, quàm corpus & sanguinem Christi quæ nobis ipse tanquam omnium preciosissimum & inestimabilem thesaurum singularémque nobis amorem communicans iis nos perpetuo ditauit & donauit. Si autem Deo gratum est vt offeramus corpus nostrum quòd infirmitatibus multis & peccatis est inuolutum, cur non multò gratius iuxta apostoli testimonium, *Obsecro vos vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, Sanctam, deo placentem* foret, si offeramus hoc est præsentemus corpus illud sanctissimum longè & dignissimum filij sui prædilecti? Qui posset esse Deo ingratum quod nos ei ob oculos, cum gratiorum actione agnoscentes nos omnem salutis nostræ spem & anchoram in illo solo collocasse, sistamus filium illum in quo voce cœlesti testatus est se multum placere? Nónne licitum est fidelibus hoc quotidie facere in corde suo, vt offerant Deo Patri filium suum & omnia ipsius merita precantes vt propter illa dignetur ipsis esse propitius? Si hoc cuilibet licet, & Deo vtique plurimum placet, tametsi nullibi expresse hoc iuberet scriptura, quis ambigere auderet itidem Deo

Genes. 4.

Rom. 12.

Matt. 3. & 17.

esse nihilominus gratum, cùm filium suum, cum omnibus meritis in hoc sacraméto, in quo nobis certissimè seipsum quasi pignus æternæ salutis reliquit, non cruentè sed incruentè, non pro redemptione denuò promerenda, sed olim in cruce promerita, impetranda, suscipienda, & consequenda sistimus & præsentamus? Si illa cordialis (vt ita loquar) oblatio fidelium, perplacet Deo patri, licet etiam nullibi esset præcepta, Sacramentalis illa quæ ex cordis quoque deuotione & fidei radice proficiscitur, displicere credenda erit, cùm fuerit solis apostolis & successoribus prius quàm pateretur solenniter præcepta & demandata? Tota ergo præsentis huius negocij ratio in hoc consistit, vt probemus, an corpus Christi in sacramento altaris verè & realiter præsens existat, quo facto facile de hostibus reportabimus triumphum, & insignis Sacrificij Euangelij cultus innocuus, & ab eiusmodi harpyarum morsibus tutus venerabitur.

Exordiamur itaque à solennibus Christi promissis, quæ tantopere & tam seriò voluit indubiè foueri & expectari
Matth. 28. cordibus discipulorum donec adimplerentur. *Ego vobiscum sum* (inquit) *vsque ad consummationem sæculi.* Hic non prætereunda est, pronominis demōstratiui (Ego) claritas, quæ significat personam loquentis: & loquendo realem præ-
Matth. 14. sentiam denotat, vt videre est apud Ioannem 4. *Ego sum qui*
Ioan. 6. *loquor tecum.* Et quando ambulabat supra mare Galileæ Apostoli existimabant eum Phantasma, sed vt eorum lusciosi aperirentur oculi, dixit *Ego sum nolite timere.* Et vbicunque hac vocula vsus est Christus, veram & propriam sui corporis præsentiam intellexit. Limite tamen constituto huius præsentiæ ad finem vsque sæculi, nobiscum adesse creditur sacraméta liter, Nam quantum ad pręsentiam per Charitatem, perpetuò aderit cum Ecclesia sua triumphante. Quod si exactius colligantur Pauli Apostoli verba, ea videbuntur huius Christi assertionis præbere interpretem, cum enim dixisset Christi corpus, præsentissimum esse in
1 Corinth. 11. ecclesia cibum, conclusit *Quotiescunque manducabitis panem hunc & calicem bibetis mortem domini annuntiabitis donec veniat.* id est vsque ad consummationem sæculi. Ne autem veritatis

veritatis participes euadant hæretici, insipidè dicunt præsentiam talem spiritualem esse, Christúmque loquutum fuisse de perpetuo illo Ecclesiæ suæ moderamine per spiritualem suam præsentiam, quasi dixisset diuinitas mea, vel *Spiritus meus erit vobiscum vsque ad consummationem sæculi, vel vobiscum ero spiritualiter vsque ad consummationem sæculi.* Sed tantum abest vt hæc veri speciem ferant, quin mendacissima commenta esse, testātur ipsius scripturę verba, quæ pręsentiam illam temporaneam & transitoriam intuentur. Et profectò Christus Sacramentaliter erit *vsque ad consummationem sæcul* & non perpetuo nobiscum, Si quidem post huius sæculi consummationem erit cum omnibus electis, sed non eo modo quo & in sacramento, nimirum sub speciebus panis & vini, Nec pollicitabundum apparatum sermonū, Christus instruxisset si nihil amplius aut celsius donandum & promittendum voluisset Ecclesiæ suæ, quàm quod prius Iudæorum synagogæ datum fuerat, cum qua spiritualiter præsens erat antequam talia polliceretur. Frustra enim ascensurus ad Paternas sedes hac voce solatus fuisset Apostolos *Ego vobiscum sum.* Si nihil aliud præter sui spiritualem præsentiam promisisset, secundùm virtutē diuinitatis atque efficaciam virtutis & gratiæ. Nam & eo modo antiquis patribus in veteri testamento præsens fuit & ambulauit in medio eorum. Nullo ergo excellentiore priuilegio gauderet Christi sponsa Ecclesia, quàm synagoga, nisi quædam esset præsentia, illa spirituali splendidior. Quomodo ergo Aggæi * vaticiniū verificabitur quo dixit *Gloriam domus eius nouissimè*, ecclesiæ, scilicet, Euangelicæ, *superare gloriam domus primæ*, scilicet synagogæ? Sane si non remanet corpus Christi gloriosum in Ecclesia, gloria domus nouissimæ non est maior quàm primæ, immo minor. Credēdum est ergo corporalem pręsentiam esse in Eucharistia, quam nobis promisit adfuturam vsque ad consummationem sæculi. Et hæc pręsentia Christi secundum corporis sui substantiam est longè sublimior, completior, & perfectior, quàm ea præsentia qua adest nobis sola virtutis efficacia & vigore. Incomprehensibile huius corporis Christi præsentiæ mysterium mirari non desinit vates ille diuinus

* Nemo nisi stolidus negabit hanc promissionem esse de Ecclesia [illegible] quæ est domus [illegible] nouissima, [illegible] non erit alia in terris cuius gloriam superet gloria prima quæ fuit maior quàm secunda.

diuinus Ezechiel 37.cap. in persona domini de nouo testamento & sacramentis eius prophetás *Disponam* (inquit) *eis testamentum pacis, testamentum æternum erit cum eis & fundabo eos & multiplicabo eos*, sequitur, *Et ponam sancta mea in medio eorum in perpetuum. Et erit tabernaculum meum in eis, & ero eis Deus*, cum ait, *ponam sancta meas in medio eorum*, de sacramento Eucharistiæ loquitur quòd magis adhuc declarat subinnuens *& erit tabernaculum meum in eis & ero eis deus*, explicat quæ essent illa quæ proximè dixerat sancta in medio nostrum posita *Tabernaculum*, scilicet, siue velamen, id est, carnem in qua habitauit plenitudo diuinitatis, vnde Esaias carnem Christi & cum ea vnitam diuinitatem vocat *sancta* interprete Paulo in actis apostolorum cap.13. cum ait, *Quem autem suscitauit eum à mortuis non amplius reuersurum ad corruptionem*, ita dixit quia dabo vobis sancta Dauid *fidelia*. Hæc itaque sancta dicuntur & sunt tabernaculum de quo ait per Prophetam Deus, *Tabernaculum meum erit in eis* quod summam nobiscum vnionem sui corporis significat, Per hanc enim vt Ioannis 6. dicitur, *ipse manet in nobis & nos in eo*, Siquidem de prima vnione Dei cum humanitate assumpta, non dicimus, *Tabernaculum eius esse in nobis*. quin potius Deum esse in tabernaculo nostro, *& habitasse in nobis* Ioannis 1. id est in tabernaculo carnis assumptæ. At hoc in loco miratur vates vna cum Ioanne Apocalipsæos 21. quod *tabernaculum Dei sit cum hominibus & habitet cum eis*. Dicant nunc aduersarij quomodo iuxta Prophetiam Ezechielis *sancta*, id est, caro & sanguis Christi in medio eorum posita sunt, si corpus Christi cœlo includunt? & vt ipsi tradunt tantum à nobis distat quantum cœlum à terra? Quomodo inquam *tabernaculum dei*, id est, caro eius in eis est, si solum panis ab eis verè comeditur? Cibus enim non est verè in comedente, nisi cum verè & realiter comeditur, subiungit adhuc propheta. *Et scient gentes quia ego dominus sanctificator Israel cum fuerint sancta mea*, Caro mea *in medio eorum*, Stupendum enim est dictu Deum cum hominibus perpetuò habitare vsque ad consummationem sæculi, sed id oculis fidei intuitu facillimum est. Nobiscum voluit Deus remanere, non solum per inhabitantem

Sancta vocat hic dominus carnem suam viuificam & virtute sua sanctificantem.

tem

tem gratiam : nec per diuinam tantum essentiam , vt olim in lege quæ non præsentia bona , *Sed vmbram habebat futurorum bonorum* , verumetiam per corporalem præsentiam, Et ideò magnum Altaris sacramentum instituit in quo præsens est ipse nobiscum , sub alia quidem forma sed in propria substantia.

Alterum Christi promissum in sacris Diui Ioannis Ar- *Ioan.6.*
chiuis legitur, vbi Deus & Dei filius in conspectu totius caperatæ Synagogę hæc dulcissima verba intonat. *Ego sum panis viuus,qui de cœlo descendi si quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum. Et panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita.* Verbum autem *est* nequaquam sumi potest pro *significat*,sensus absurdus esset. Panis viuus quem ego dabo signum erit carnis meæ , quo profecto nihil imprudentius somniare potuerunt veritatis osores hæretici dum affirmant solum figuram & signum carnis eius in pane materiali sacrato,nobis relictum.Mira profecto & pertinax cōtētio. Christus pollicetur panem se daturum qui caro eius futura esset pro mundi vita , isti autem dicunt panem non esse eius carnem vel corpus sed tantum figuram & nudam representationem, Distinctius clarius & apertius attamen Christus omnium iudicio loqui non potuisset, vt fides sequeretur natiui verbi sui efficaciam. Postmodum solenne iusiurandum addit ad dirimēdam omnem controuersiam. *Amen amen dico vobis* (inquit) *nisi manducaueritis carnem filij hominis,& biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem habet vitam æternam & ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Audis repetitum bis *Amen Amen* in veritatis assertionem quasi per du
plex præstitum iuramentum. *Homines enim* vt inquit Pau- *Heb. 6.*
lus *per maiorem sui iurant & omnis controuersiæ eorum finis ad confirmationem iuramenti est.* Quod per semetipsum iurauit Dominus *Nisi manducaueritis.* In hoc enim differunt iuramenta Dei à nostris quòd sæpius inuoluantur nostra ambagibus mendacij, eius vero clara sunt adeo vt nihil fæcis ambiguitatum aut scrupuli audientibus relinquant , sed natiua & pura significatione sese ab omni fuco & incredulitate aliena exhibeant. Semper vera sunt Christi verba

cum sit *veritas* ipsa Ioannis 14. *& mentiri nequeat*, authore Paulo, verum sæpenumero cum absque iuramento excidium alicui minatur, vt olim Niniuitis per Ionam, Comminationes illius intelligendæ veniunt cum hac conditione *nisi resipuerint*, Sed vbi interuenit iuramentum verba illius accipienda sunt, vt sonāt, absque vlla conditione. Hinc est quod vt certiores efficeremur, promissionis Christi, reiterato iuramento interminationē grauissimā adiecit, nósque cœlestis vitæ extorres perpetuò forè prædicit nisi carne sua cibemur, & suo inebriemur sanguine, *Nisi* (inquit) *manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis.* Et vbi quæso tantæ dapes, tam eximius potus nobis paratur, nisi in sacramento altaris in quo Corpus Christi verum, & sanguis eius verus secundum substantiam sumitur? Nec est vt impingamus in hac clara verborum constructione, qua omnia recto filo veluti ad perpendiculum, exprimuntur, vt quod pollicetur verum sit, quod minatur in contrarium sensum, vel in mitiorem pœnam reflecti nequit, ex præcepti diuini natura cui nihil obscurius addi, vel grauius surripi potest, pro intellectus humani arbitrio, Siquidem *præceptum domini lucidum*, ait Dauid, Psalmo 18. *Illuminans oculos* hoc est, Illuminans mentes hominum cæcas Dei ignoratione. Mortem ergo minis verissimis astruit Christus manducare carnem suam & bibere sanguinem suum negligentibus, eámq; non solum temporalem sed spiritualem, quemadmodum & protoparentes ex esu arboris vetitæ non spirituali vel imaginario, sed corporali & reali, ineuitabile cunctis mortis supplicium promeruerunt. sic & vera manducatione corporis Christi vita comparatur æterna. Non sunt ergo isti audiendi qui id nobis pariter euenturum docent, ex solius panis triticei & cibarij victu, aut vini potu in Christi memoriam, Si enim res ita haberetur, idque sufficeret ad beatitudinem consequendam, cur pari gratia non fruuntur Iudæi qui manducauerunt non modo panes propositionis vt dicitur Leuitici 24. & alibi, sed etiam manna in deserto, quod etiam figura fuit & symbolum corporis Dominici? Obturentur aures ad sacrilegas istas vo- Ioan. 6.

ciferationes

ciferationes. Vana ergo erit iurisiurandi diuini religio bis repetita, vanus erit pœnæ reatus, & cætera illa scripta verba Christi per Euangelistas eiusdem erunt pōderis, eodem metientur pede, vt Caluini iudicio futilem tantummodo significationem comprehendant Ad sannas & vaniloquia referentur, ea quæ simili fermè modo loquutus est Christus aliquid pœnarum minatus vt pote, Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum non intrabitis in regnum cœlorum. Item Lucæ 5. Nisi pœnitentiam egeritis omnes simul peribitis. Et Ioannis 3. Amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto non intrabit in regnum cœlorum. Et Ioannis 14. Si non lauero te non habebis partem mecum. Videmus enim comminatoria ista omnia realiter & corporaliter intelligi. Quod negare Aduersarij non possunt, qui tamen incassum protulisse existimant Christum hæc verba. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Nunquid autem est aliquis tam mentis & iudicij inops, qui putet ista de aliquo hominis vulgaris aut cuiuslibet sortis filio posse veraciter intelligi, prçter illum vnicū filium hominis, Christum virginis filiū: Nunquid opinabitur quispiam, quod vt Christi promissio suum sortitur effectum, aliquis homo sit dilacerandus, mactandus, & Canabalico aut Cyclopico gutture deuorandus, coquendus, aut assandus, vt vitæ beatæ habeatur merces? Iussitne Deus reuocato veteris & nouæ legis præcepto homines occidi & manducari? Et quamuis impunè occiderentur & deglutirentur, éstne tantum diuini saporis & virtutis in humana carne, vt suo gustu possit comedenti vitam largiri æternam, eúmque ad immortalitatem euehere? Ex hoc ergo arrigant aures surdiores ipso æquore hæretici, & intelligant quod Dominus de suo corpore diuinitati vnito dicebat. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis*, &c. Filium hominis se solebat appellare Saluator, nec vsquam in Euangeliis, hac appellatione significatus est alius aliquis prçter ipsum. Hinc scimus, quoniam & hoc loco, vbi dixit de carne filij hominis, se singulariter significauit. Vt autem certiùs fieret de quo filio hominis hic loqueretur

Matth. 5.

queretur cum ait & qualem vitam promitteret his, qui manducarent carnem ipsius & sanguinem biberent postea ait *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem habet vitam æternam.* Notandum est quod quando Deus aliquid maximi præmij promittit pro rei cuiuspiam compensatione, solet non minus clarè de modo illud obtinendi quàm de mercede ipsa loqui, vt realem semper & spiritualem comprehendat sui promissi effectum. Sic pollicebatur vitam perhennem hominibus per aduentum *Messiæ*

Gen.22. Heb.6. Galat.3.

non solùm spiritualiter, vt eum sacra fidei luce vidit Abraham, sed realiter quando suscepit humanam naturam, Sic Christus fidei & gratiæ lumen promittens Discipulis, per Sancti spiritus paracleti missionem noluit, eorum expectationem frustratum iri, quinimmò realiter & verè in linguis igneis ipsum mittendum intelligebat. Nullus itaque tropus obscurior aut incertior in Christi pollicitis habetur, nec fumo vendit promissorum certitudinem cum carnem suam ad manducandum se daturum profitetur. Addit itaque *Caro mea vere est cibus & sanguis meus vere est potus.* Quid potuit clarius præfari ad ostendēdam verę carnis veritatem, & preciosum sanguinem suum non figuratè nec metonimicè datū esse in cibum & potum: carnem scilicet à sanguine nō seiūgens? Nec putandū est quod particula illa *verè* sine prædicati maxima assertione expressa sit. Habet

Quod verè cibus est verè manducatur. Sed caro Christi vere cibus est: igitur caro Christi verè manducatur. At verè manducare apud homines qui corpore & Spiritu constant est corpore manducare, caro ergo Christi quæ verè cibus à corpore manducatur.

enim acutam emphasim & haudquaquam otiosè adiecta est, ad designandam sacratissimam Domini carnem in sacrosancto Eucharistiæ sacramento. Nec Metaphisices Philosophiæ peritos latet *Ens, res, verum bonum*, terminos esse conuertibiles, adeo quod quicquid verè est, realiter est, & è contra. Apud Latinos hoc aduerbio *vere* vtimur in repugnantiam & contra veritatem falsi, vt latè per sacram scripturæ sacræ aream patet, sic enim eo vsus est Abraham dicens *vere soror mea est filia patris mei*, Hic prout contrariatur falsitati accipitur & Iosue septimo *vere peccaui.* Item eadem phrasi mentem suam in Deum testatur Nahamam Syrus 4.Reg.5. *verè scio quia non est alius deus quàm deus Israel.* Sic Matthæi 14. *vere tu es filius Dei.* Sic Petro Iudæi dixerunt Matthæi 16. *vere tu ex discipulis eius es.* Pœnitentem Centurionem

rionem toto pectore eiusdem vocis affectu dixisse legimus ibidem cum Christus pateretur *vere filius dei erat iste*. Et de eodem Christo de morte triumphante. *Surrexit dominus vere*. Et Petrus solutus à vinculis gaudens dixit. *Scio vere quia dominus misit angelum suum & liberauit me de manu Hærodis*. Quare autem hæc ipsa luce clariora ferre nequeunt caligantes hæreticorum oculi? quid in causa est cur minus verissimæ scripturæ iudicio non assentiant? Hostis profecto generis humani eorum mentes fascinauit vt nec verum diem intueri possint? Hostis ille Sathan qui primis parentibus dixit *nequaquam moriemini* aduersariis Ecclesiæ dixit Nequaquam moriemini tametsi non manducetis eius carnem. Nequaquam potestis comedere eius carnem. Quomodo enim posset carnem suam vobis dare ad manducandum? Aut quare rem tam absurdam vobis præciperet? Nequaquam enim caro est verè cibus, & sanguis eius verus potus. Panis quem vobis promittit nequaquam caro eius est, signa vos manducatis non ipsam carnem, vmbras non corpus, figuras non ipsa bona figurata, paleas non grana, siliquas porcorum, non panem filij Dei & angelorum, falsos scilicet cibos qui non possunt vitam dare mundo & nō verum panem cœlestem qui dat vitam mundo, Mihi plus credite hæc dicenti contra verba Dei vestri, quàm illi. Ego enim melius scio veritatem, ait mendacij pater quàm ipsamet veritas. Hoc verborum lenocinio incautas deprædatur mentes hæreticorum, diabolus, angit, torquet, dilacerat & in mille horrendos errores distrahit adeo vt sibi ipsis ignoti vix sciant quo se vertere debeant, Hinc cum Capharnaitis incredulum illud *Quomodo* superstruunt. *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Sed ô mundi redemptor paterisne nebulones istos ex diuinis tuis verbis scandalisari, veritate huius mysterij non intellecta, tu inquam qui odisti scandalum, & maximum anathema fulminasti super capita eorum è quibus *scandala* oriuntur? Fateor discipulos horum verborum celsitudine & nouitate aliquandiu permotos sed illico fidem & animam vouisse ad credendum. Quidam siquidem eorum murmurabant & durum sermonem

Matth. 27. Luc. 24. Act. 12. Ioan. 6. Matth. 18. Ioan. 6.

intellectus collimata acie non intelligebant, dicentes *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Durus est hic sermo. Quis potest eum audire?* Et conuersi retro discesserunt ab eo & vltra non ambulauerunt cum ipso. Aestimabant enim quod diceret eis, se manducandum ab eis, in ea specie qua apparebat inter eos, ita vt per frusta conciderecur, & dẽtibus eorum dilaniaretur, & vt sanguis eius in specie sanguinis hauriretur ab eis. Ipse vero, non hunc modum manducandi eis significabat, sed illum manducationis modum, quò verè quidem caro Christi manducatur, ita tamen vt manducanti videatur non se manducare carnem sed panem, & vt bibenti sanguinem eius, videatur non se sanguinem potare sed vinum. Quod si aliud verbis, aliud intellectu protulisset Christus, suspensos & hęsitantes reliquisset Apostolos inter sacrum & saxum, vt dicitur, nec misertus fuisset fluctuantibus animis, Sed vt omnis refelleretur tropi suspicio, sæpius repetit, nequis dubitandi sibi locum faceret, quod ipse erat panis verus & viuus, quod manducare oportebat verè eius carnem & bibere eius sanguinem ad vitam æternam consequendam. Nec est vt mireris si omnes infirmi & increduli abierunt retrorsum, neque ideò impossibile putes quia planè non intelligas. Insequere Petrum & collegas, hac diuina voce confirmatos, qui confitentur Christum *habere verba vitæ,* & manent vsque ad institutionem & participationem eiusdem sacramenti. Cùm enim videret eos mordicus inhærere verborum cortici, omnem dissoluit nodum Christus dicens. *Spiritus est qui viuificat caro non prodest quicquam verba quæ loquutus sum vobis, spiritus & vita sunt.* Ea autem deprauant hæreticorum corruptelæ quasi dixisset Christus, verba mea figurata sunt, siue per figuram accipienda non propriè vt spiritualis manducatio non realis intelligatur. Bona verba quęso Caluine incassum niteris obgannire veritati: Minimè culpandus est sol, si tuus oculus non videt. Tunc ergo verba Christi omnia nullius effectus existimabis? vt tuo arbitrio pro fumo venundentur? Id planè insani & dementis animi prodit indicium. Nos enim miseri diceremur omni gratia, omni dono destitueremur, nulláq;

potiremur

potiremur Christi promissionis executione nisi per certas inanis conceptus idæas. Sed malus quis te abstulit error vt arbitreris verba sua Christum ideò spiritum vocasse, quod figuratè accipi debeant? Quis ergo vnquam volens figùratè sua verba intelligi, de corpore suo vocauit ea spiritum? Et non potius tibi persuadeas Dei verbum Christum cui omni modo libratissima verba erant, vt ostēderet illis non figuram, sed vim incredibilem inesse, adiunxisse nomen vitæ, quod sanè non figuram duntaxat sed verum corpus efficiēdi illis inesse satis declarat, atque ideo vel ipsum esse, aut conferre spiritum quem dixerat ante viuificasse, huiusmodi quasi syllogismo sophismatibus contrario vsus, vt sensus horum verborū purus & ingenuus nullo fuco conuulsus & distortus, *Verba quæ ego loquor spiritus & vita sunt*, hac fermè ratione comprehendatur ac si Christus dixisset, Verba quę ego loquor de carne mea spiritum & vitam habent. Quæ polliceor non sunt interitui obnoxia sed vita & spiritu constant. Nec impropriè loquitur Christus, si enim *quod natum est ex spiritu spiritus est*, certè caro Christi spiritus sancti operatione in vtero deiparę Virginis formata (nam quod in ea natum est de spiritu sancto est) merito spiritus dicitur. Nemo audebit succensere Christo quod ex verbis suis vitam offerat, cum totus sit vita, *Sicut pater habet vitam in semetipso sic dedit filio vitam habere in semetipso*. Miraris Christum dixisse verba sua vitam esse. Qui toties iure singulari hos immortales titulos sibi dari voluit. *Ego sum* (inquit) *resurrectio & vita*. Ille est qui vitæ & necis stringit & laxat habenas. Est *via veritas & vita* vt sæpius professus est. Iam ex verbis suis nobis præbet vitæ immortalis alimentum, cœlestem illam ambrosiam quæ vitam habet & spiritum. Qua in re futiles ruunt aduersariorum conatus qui impiè torquent Christi sententiam vt eam adigi velint in hanc hæresim, Verba quæ ego loquutus sum de carne mea figuratè & spiritualiter tantum intelligenda sunt præsertim vt spirituale distinguitur contra reale, secus tamen si opponatur carnali. Sileant caliginosę hęreticorum interpretationes. Non sunt hic σκοτεινὰ αἰνίγματα. Christus numeris pythagoricis non obscurat diuinam suam Philosophiam. Verba quæ ... profert

Ioan. 3.
Matth. 1.
Ioan. 5.
Ioan. 11.
Ioan. 14.

profert ſpiritus & vita ſunt. Re ipſa de carne ſua loquitur quæ ſpiritus & vita eſt, ſiue ſpiritualis & vitalis. Nec verba illa præcedentia quæ non ſolum Capharnaitarum verumetiam apoſtolorum animis ſcrupulum aut ſcandalum neſcio quod iniecerant non ſic ſunt ſpiritualia vt non realia, ſeu rerum naturam & ſubſtantiam ſignificantia quoniam perſpicuè illis prænuntiatur caro Chriſti danda pro mundi vita, vt ex textu Græco colligitur. ὁ ἄρτος δὲ ὃν ἐγὼ δώσω ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς *Panis quem ego dabo caro mea eſt quam ego dabo pro mundi vita*. Cum enim bis filius Dei dicat *ſe daturum carnem ſuam* ſemel *nobis* & iterum pro nobis. Cúmque vtriuſque doni ratio ita coaleſcat vt prioris donationis intelligentia pendeat à ſequenti, quia dicit *ſe daturum carnem ſuam*, & eam carnem *quam dabit pro mundi vita*, qui abſque errore cupit ſcire, quo pacto prior datio complebitur, animaduertat quo pacto poſterior datio completa eſt, Nónne re ipſa Chriſtus obtulit Deo patri carnem ſuam vſque ad mortem pro mundi vita, vt ad Philippenſes 2. docet Apoſtolus? promiſit igitur eandem carnem, non ſpiritu ſolum, ſed per interpoſitam ipſius rei ſubſtantiam, à nobis manducandam, quod vtique alibi non fit: quam in Euchariſtiæ ſacramento, Nam quæ ratio patitur, vt priorem dationem à poſteriore ſeparemus, cum poſterior ideo ſit adiecta, vt priorem interpretaretur ac declararet? *Panis* (ait) *quem ego dabo caro mea eſt.* Quod quid aliud eſt quàm ego dabo carnem meam in panem, ſeu manducandam? At quęnam caro hęc? *quam* (inquit) *dabo pro mũdi vita*, Quo igitur modo data eſt caro Chriſti pro mundi vita? non tantũ ſanè, per fidem cordibus noſtris infuſam, ſed reipſa. In eadem ergo carnis veritate ac ſubſtantia, prior datio accipienda eſt, in qua poſterior datio completa eſt, Adde Chriſtum promiſiſſe his verbis carnem ſuam in ſacramentum, quàm oblaturus erat Deo patri in ſacrificium, ſacramentum autem à ſacrificio non rei ſubſtantia ſed ſola ratione differt. Talis igitur datio hic intelligit qualis de re ſacrificata fieri ſolet, ea vero non ſpiritualis tantum ſed præterea realis fuit. Præterea ſi per hæc verba, *ſpiritus & vita ſunt.* Innueret, non propriè accipiendum fuiſſe ſermonem ſuum, ſed ſpiritualiter

liter & figuratè interpretandum, Proculdubio omne ſcandalum hoc reſponſo ſuſtuliſſet, nec diſcipuli poſtea perrexiſſent ſecedere, verum quoniam probè animaduerterunt proprietatem verborum, his verbis *verba quæ loquor ſpiritus & vita ſunt* non perimi, in ſcandalo perſiſterunt.

Alij volunt Chriſtum hoc in loco de efficacia verbi ſui loquutum fuiſſe, vt ſenſus ſit vobis incredulis *durus ſermo* meus videtur quia ignoratis quòd *verba mea ſpiritus & vita ſunt.* Sic enim vt alibi docet ſcriptura, vivus eſt ſermo Dei & efficax ac ſpiritu & vita plenus, vt efficiat quicquid dicit, Quemadmodum ergo iampridem *Verbo domini cœli firmati.* Pſal. 32. veniétque hora *quando mortui audient vocem filij dei & qui audierint viuent.* Ioannis 5. Ita verba quæ loquor de carne mea ita viua ſunt & ſpiritu plena, vt pani mortuo quem in manibus accepturus ſum, vitam conferre poſsint illum in viuam carnis meæ ſubſtantiam mutando. Quæ ſi ita explicentur nónne hæc ratio erit optima Verba quæ Chriſtus protulit de pane quem daturus erat Apoſtolis ſpiritu & vita plena ſunt. Ergo vt olim his verbis *Lazare veni foras* Ioannis 11. mortuum Lazarum ſpiritu & vita impleuit, ſic cum accipiens panem protulit hæc verba *Hoc eſt corpus meum* ex pane inſenſibili & inanimato fecit panem viuum? Quod ſi id non placet, exiſtima ſpiritum & vitam verba Chriſti vocari ex materia, id eſt, rebus de quibus agunt diuinis & ſpiritualibus, & quia debet eſſe inter cognoſcentem & rem cognitam proportio, Chriſtum reddere cauſam crede, cur non intelligant, quia ſcilicet ingenium eorum carnale erat, res autem de quibus ipſe diſſerebat ſpirituales, non vt ſpirituale opponitur reali ſed vt opponitur carnali & ſenſuali. Ad coruos ergo ablegentur iſti falſarij qui diſtorto ſacræ eloquutionis robore in fidei perniciem ex ſuperioribus Chriſti verbis inſulſiſsima argumenta colligunt ad aſtruēdam ſpiritualem neſcio quam præſentiam & manducationem corporis Chriſti in Euchariſtia. Addunt aliam obiectionem his propoſitionibus firmatam, *Caro Chriſti non prodeſt quicquam* igitur non eſt in Euchariſtia realiter & præſentialiter, ac ſi quis optimè fundatam putaret hanc conſequentiam. Ioannis 6.

Arbor hæc nihil prodest omninò ergo non adest. Sic tametsi malis & perditissima morum, colluuie turpibus, parum vel nihil vtilitatis & salutis conciliet, non tamen inde sequitur omnino abesse aut nihil prodesse, alioquin & scientia & opes, & Christi passio & Deus ipse nihil prodesse censeretur, quia profligatis hominibus nihil prosunt. Age, num minus insipide colligunt carnem Christi abesse à sacramento, quoniam spiritus & vita ibi à Christo promittuntur & caro nihil prodesse scribatur, sed spiritum esse qui viuificat? quasi spiritus & eius efficacia carni opposita carnis substantiam excludat. Quod si in homine quis ineptè colligat, idcirco quod anima & spiritus viuificent hominem, nec quicquam ad hoc cōferat caro, hominem carne & ossibus destitutum esse, quanto ineptius dicetur de Christo, cuius caro de spiritu sancto procreata est, & spiritualis & viuifica effecta, nec tamen postquam caro factum est verbum, desiit esse spiritus & vita, sicut nec desiit esse Deus benedictus in sæcula? Litigantibus idcirco de sermonis indigestione Iudæis, dominus res aperuit, inquiens, verba quæ ego loquor spiritus & vita sunt, spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquam. Vt enim corpus Christi non ascendebat in cœlum, nisi virtute diuinitatis verbi, cuius propria erat facta caro assumpta, sic caro sanctæ Eucharistiæ, ex diuinitate cum qua vnita est hypostatice, habet, vt sit viuifica. Deus inquam per carnem illam suam præstat vitam manducanti. *Hoc qui non crediderunt multi ex discipulis eius abierunt retrò, & iam non cum illo ambulabant.* Cum autem conuertens se ad duodecim interrogaret, *nunquam & vos vultis abire?* respondit ei Simon Petrus nomine Apostolorum, *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes, & nos credimus & cognouimus, quia tu es Christus filius Dei.* Nescio quo pacto posset mens & intentio scripturæ clarius exprimi. Quinquies & sexies de manducatione carnis & potione sanguinis sui instruit sermonem Christus, vt certo relatum est per Diui Ioannis Euangelium, tantam tamen tenebrarum & obscuritatis caliginem inducere conantur hæretici huic tam dilucidæ verborum perspicuitati. Illam ergo discutere vel hoc solo argumento

gumento sæpius apud huiusmodi farinæ homines spopondi. Quotiescunque Christus horum verborum bibere, aut comedere intellectu vsus est citra naturalē eorum significationem, illicò seipsum explicatus est, & quo sensu intelligenda essent docuit, vt testatur Ioannes cum sub eiusdem Domini persona dicit *Qui sitit veniat & bibat.* Audi interpretem. *Hoc autem dicebat de spiritu quem accepturi erant credentes in eum.* In hac autē corporis sui promissione, eiusq; reali manducatione disceptantibus Apostolis, tantum abest vt mutauerit purum & genuinum sensum, quin senaria repetitione, ea de naturali & corporali manducatione accipienda esse confirmat, nec vllus Euangelistarum ea in contrarium significatum extorsit. Imponant ergo pertinaci loquacitati silentium aduersarij, qui nec verè nec substantialiter sed spiritualiter & imaginariè corpus Christi in Eucharistia manducari temerè obstrepunt. In hoc profecto Magistrum malum dæmonem excellunt discipuli tales, in cuius Gymnasio plus æquo doctiores euaserunt: cum enim ipse diabolus congressurus in certamen cum Christo, scripturæ authoritatibus innitebatur, & gloriosius in tutelam sui dicti proponeret eximiū illud *Scriptum est* hæretici multò insaniori arguuntur iudicio, siquidem scripturæ relicto suffragio & variis scomatibus excoriātes Christi eloquium pertinacius fateri nolunt quod de carne sua quod de sanguine suo loquutus sit cum toties dixerit apud Ioannem. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis.* Assentimur tota mente, totis viribus, toto corde, tam veræ & incorruptæ promissioni, qua nos nequaquam falsos esse scimus. Credimus Deo & Dei verbis. Adstipulamur Ecclesiæ consensui. Qui autem per alios ambages, & obscuros figmentorum turbines, aliud opinantur, dicúntque Christum loquutum fuisse de spirituali duntaxat manducatione, Cui credunt? vbi scriptum est? Quis prophetarum talia vaticinatus est? Quis Euangelistarum talia authenticis Christi vitę tabulis descripsit? Quis Apostolorum hæc probauit docuit & intellexit? Christus sanè integriùs, veriùs & clariùs, suum relinquit institutum, suam firmat voluntatem verbis quibus Eucha-

Ioan. 7.

Matth. 4. Marci 1. Luc. 4.

Ioan. 6.

ristiam nobis obtulit, Apostoli, Euangelistæ & Prophetæ, vno veluti gutture, vno consensu & vno calamo Christum carnem & sanguinem nobis dedisse palam docuerunt. Quis ergo fanaticos hos agitauit spiritus, nisi triceps ille Sathan, qui gloriatur in dissidiis opera ministrorũ suorum aduersus veritatis sacrosancti sacramenti altaris exortis? Proh Deum atque hominum fidem, mentiuntur summi doctoris disciplinam & institutionẽ. Nam se hac in re edoctos esse ab Augustino tanto præceptore indigni, vicatim & compitatim clamitant eò quòd aliquando dixerit. *Quid paras dentes & ventrem? crede & manducasti.* Hæc tanto patri impingenda non est, iniuria qui longè aliud sensit de huius verbi sensu, nam si eius limatiùs conferantur scripta & ad inuicem opponantur vel prioribus per posteriora derogasse vel priora vero & proprio sensu docuisse comperiemus. Nam in primis explicat eo in loco Euangelium allegoricos, ex solo autem sensu literali trahitur efficax argumentum. Cur ergo cum ipsi præter scripturam sacram eámque in puro ac literali sensu suo, recipere nihil velint Augustinum nobis opponunt? Si enim essemus adeo impudentes vt illi qui eruditissimos ecclesiæ doctores condemnant, licet scriptura dicat Ecclesiast. 8. *Ne despicias narrationem presbyterorum sapientum & in prouerbiis eorum conuersare. Ab ipsis enim disces sapientiam & doctrinam intellectus.* Et Ecclesiasticis 39. *sapientiam omnium antiquorum exquire* nónne statim audirent à nobis veritatem in illius verbis quærendam esse qui veritas est, nec ad Augustinum recurrendum esse sed ad verba domini nostri Iesu Christi, cum non audiendi sint illi qui dicunt, Hæc dico, hæc dicis, sed hæc dicit Dominus? Verum si hæc Augustini authoritas rectè expendatur, eam pro castris ecclesiæ Catholicæ tuendis plurimum valere perspicuum erit. Proponit enim leuamen eorũ qui vel repentina morte, vel dirissimis morbis affecti, vel inter infidelium cruciatus vel propter Tyrannorum minas sacramentaliter & realiter recipere non possunt corpus Christi, quibus sola fides opitulatur vt nimirum credãt quòd verè & realiter sub speciebus panis & vini subsistat sicque eius fiunt participes non minus quàm

si faucibus

ſi faucibus deglutiſſent. Quapropter cum Auguſtinus ait crede & manducaſti, non loquitur de fide Caluiniſtarum qua credunt corpus Chriſti non niſi in cœlo eſſe, & proinde non in cœna quæ in terra celebratur, Sed de ea qua Catholici credunt, fide non dubia quæ verbo Dei innititur, corpus Chriſti verè ac realiter in ſacramento ſacrificióq; altaris eſſe ſub ſpeciebus panis & vini, Credat igitur ęgrotus corpus Chriſti eſſe ſub ſpeciebus panis & vini ritè conſecratis, & manducauit Cęterũ Explicetur Auguſtinus Per Auguſtinum. Nam circa finem commentariorum quæ in illud ſextum Ioannis caput ſcripſit rem totã repetens inquit *Hoc totum quod dominus de carne & ſanguine ſuo locutus eſt, & quod in eius gratia vitam nobis promiſit æternam, & quod hinc voluit intelligi manducatores & potatores carnis & ſanguinis ſui, vt in eo maneant, & ipſe in illis, & quod non intellexerunt qui non crediderunt, & quod ſpiritualia carnaliter ſapiendo ſcandalizati ſunt, &c. Hoc ergo totũ ad hoc nobis valeat dilectiſsimi vt carnem Chriſti & ſanguinem non edamus tantum in ſacramento, quod & multi mali, ſed vſque ad ſpiritus participationem manducemus & bibamus, vel in domini corpore tanquam membra maneamus, vt eius ſpiritu vegetemur nec ſcandalizemur, etiam ſi multi modo nobiſcum manducant & bibunt temporaliter ſacramenta qui habebunt in fine æterna tormenta.* Clarum ergo eſt Auguſtinum loqui de præparatione requiſita ad ſalutarem corporis Chriſti, receptionem ſacramentalem. Si autem tenaciùs diſcedere nolint, ab hac Auguſtini ſententia eámque multum tueri ſolam ſpiritualem manducationem aſſerant. Opponatur Auguſtinus Auguſtino. Præterea quod in vno ſolo loco ſcripſit Auguſtinus, crudius & minus explicatè, in pluribus aliis clarius interpretatus eſt, vt omnia ad realem corporis Chriſti manducationem (quod & Iudæ proditori ſine fide contigit) referantur, non ad ſuſceptionem illam ſpiritualem quam ſola fide, imaginantur hæretici. Teſtes ſunt omnes loci eiuſdem patris * Auguſtini, Per varias enim locorum authoritates Auguſtinus liberè negat, nouam hanc manducationis ſpeciem aduerſarios ab ipſo hauſiſſe, ſed à Patre diabolo, cuius præcipuum eſt ſtudium criminari realem corporis Chriſti in ſa-

*Lib. 1. cap. 25. contra Creſconium. Psal. 21. 33. & 99 & de verbis Apoſtoli ſermone 2. & contra fauſtum Manichæum cap. 20. & de verbis domini ſermone 2 . & 33. & de verbis domini in Matthæum ſerm. 11. & in Ioannem. ſerm. 15. Idem contra aduerſarios legis & prophetarum lib. . ca. 20. lib. 3 de [illegible] ... ſione. in Leuit. lib. 3 cap. 31.

cramento altaris præsentiam, quam tamen tam clarè tam distinctè & frequenter asseruit Christus ipse, qui videns discipulos nondum veræ charitatis intellectu ditatos & ideo parum dociles in percipienda huius miraculi veritate, collationem proponit qua firmius sua verba confirmat & comparans id quod penitus impossibile videbatur nempe manducationem realem corporis sui cum ascensu suo ad cœlos virtute propria, ait *Hoc vobis scandalizat? si ergo videritis filium hominis ascendentem vbi erat prius?* quod perinde erat, vt si dixisset, si putatis non posse me dare vobis carnem meam viuificam ad manducandum, & verum meum sanguinem ad bibendum, quomodo credetis me ascensurum propria virtute ad cœlestes axes? Quod si Christus non intellexisset manducationem realem & veram sui corporis hac comparatione sui ascensus abusus fuisset, namq; rem falsam & imaginariam rei veræ corporali contulisset cum tamen vtrumque verum & corporeum existat, nec opus fuisset tantis comparationibus in figuræ solius assertionem. Quod enim potest esse miraculum creditu difficillimum in figura? Optimus ergo Philosophus Christus comparationem fecit τῶν ὁμοφυῶν id est eorum quæ sunt eiusdem naturæ & conditionis vt miracula Eucharistiæ, & Ascensionis quæ sunt omnia diuinæ & supremæ potestatis tum naturæ & elementorum leges exuperant. In vtroque autem non minore vsus est potentia, non exiliore veritate, nõ obscuriore modo. Quemadmodum enim verè & corporaliter ascendit ad cœlos, verè pariter atque realiter sanguinem & carnem dedit in cibum & potum fidelibus. Ascensionis & sacramenti miracula pari pede gradiuntur, vt in vno non minus quam in altero stupescat & miretur mens humana. Dubitanti siquidem de immensa Christi potestate vtriusque facti, admiratio succurrat. Si enim euectus abit sublimis in auras Aethereas, præter naturam corporis cœlum penetrans, cur non præter naturam potuit ipsum corpus sub speciebus panis & vini in Eucharistia dare? Extorquent hæretici veritatem Ascensionis in eorum perniciem & dementiam vt dicant Christus ascendit in cœlum ibique sedet ad dexteram Patris ergo non est in Eucharistia.

Christus suapte natura nubes cœlosque penetrauit cedentibus dimensionum separationem patientibus corporibus illis orbibusque cœlorum factus cœlis omnibus excelsior.

discernunt diuersos modos, quibus contigit aliquid alicui rei inesse. Et licet corpus Christi sit in cœlo & in Eucharistia, nequaquam tamen dicimus eodem modo esse vtrobique. Nam est in cœlo secundum propriam speciem visibilem, in forma gloriosa extensa & quantitatiua, atque ipso hoc modo in cœlo manente ac sedente ad dexteram Patris, tamen nihilominus est verè præsens in sacramento per transsubstantiationem panis & vini in corpus & sanguinem suum. Ne autem aliquid subticuisse videamur, quod pro fucis præstigiisque hæreticorum extirpandis conferat, scitu pernecessaria argumenta adiiciam. Christus apud Matthæum 28. (inquit) *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in tera*, hoc autem intelligitur de ipso Christo in quantum homo est. Nam vt Deus ab æterno hac potestate potiebatur, at esse in pluribus locis est quædam species potestatis, ergo potest esse in cœlo simul & in terra, vbi voluerit. Potis est homini simul desiderare esse in pluribus locis, excellit autem omnem hominum voluntatem Dei virtus, qua potest simul & velle & posse & omnibus in locis præsto adesse vbi sua sacra præsentia requiritur, nimirum in sacramento Eucharistiæ in quo corpus suum manducandum & sanguinem bibendum porrexit, ad consequendam vitam æternam, Et cum ideo voluerit nos participari in integrum corpori suo, necesse est, vt illic adsit cum nostrum non sit euolare ad sydera vt illo fruamur & vescamur. Notent ergo qui libentius doctrinam Catholicam amplectuntur quod ab esse ad posse valet argumentum, atqui Christus post ascensionem suá non modo inuisibiliter sed & visibiliter fuit in cœlo & in terra simul vt actuum 9. testatur Ananias dicens Paulo *Dominus Iesus me misit qui apparuit tibi in via qua veniebas* quibus verbis docet Ananias Christum apparuisse non in cœlo sed *in via qua veniebat*, huic subscribit Barnabas qui Apostolis narrauit quomodo Dominum *in via* vidisset actuum 22. Quid plura? Nónne fatetur Paulus se vidisse Christum post resurrectionem suam, sicut & cæteri Apostoli? Verba eius clara sunt. *Tradidi* (inquit) *vobis quod & accepi quoniam Christus resurrexit tertia die secundum scripturas & quia visus est Cephæ & post hoc vndecim*

1. Corinth. 15.

decim deinde visus est plusquam quingentis fratribus simul ex quibus multi manent vsque adhuc, quidam autem dormierunt deinde visus est Iacobo, deinde apostolis omnibus Nouissimè autem omnium tanquam abortiuo visus est & mihi ego enim sum minimus apostolorum qui non sum dignus vocari apostolus quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei. Vides Paulum loqui de simili apparitione qua cæteris apparuerat apostolis, quæ certè corporea necessario erat vti omninò requirebatur, vt illi fidele testimonium redderent resurrectionis, fundamentum igitur hæreticorum ruit, quo asseuerant idem corpus non posse in pluribus locis diuina virtute consistere. Idem Paulus de mirabili sua ectasi scribens 2. Corinthiorum 12. dicit *Se nescire an fuerit raptus in cœlum in corpore vel extra corpus.* atqui sciebat quod trium dierum spacio fuerat Damasci non manducans neque bibens vt Actuum 20 dicitur. Ergo nondum hoc principium hęreticorum erat promulgatum, quo affirmant idem corpus non posse eodem momento in cœlo & terra esse, Sed vnde tanta illis scientia, vt id sciant quod Paulus ignorauit? Hæc satis dicta sint ad astruendum id quod omnium verissimum, cui & fidei assensum firmiter præbere debemus. Quando autem contendunt aduersarij Christum non esse amplius corporaliter in mundo, fallunt, & falluntur æquiuocatione. Corporaliter enim bifariam intelligitur. Vno modo vt idem sit quod visibiliter & palpabiliter. Et sic Christus non est in mundo corporaliter, hoc est visibiliter & palpabiliter sicut ante passionem fuit, & sicut corpora nostra esse solent Alio modo corporaliter potest intelligi, sicut esse cum corpore & sic libenter admittimus Christum corporaliter, hoc est, cum vero corpore suo esse in venerabili sacramento. Non est ergo Christus in sacramento corporaliter, id est, modo corporeo extenso, & quantitatiuo, sicut solet esse corpus naturale in loco visibiliter & palpabiliter & per motum, nihilominus tamen est etiam corporaliter in sacramento, id est, cum vero viuifico & substantiali còrpore suo vt ipse Christus palam fassus est in sacra cœna, & rei gestæ factum sacri scriptores cum Apostolis optimè & verè narrant quorum authoritatem hic adscribere operæprecium esse duximus,

& hoc eadem fermè idiomatis forma qua per ipsos posteritatis memoriæ commendatum cernitur per sacrorum Bibliorum volumina, quibus colligimus quod postquam *discipuli parauerunt Pascha*, curantes eum mactari deinde assari, adhibentes azymos & lactucas aggrestes sine quibus non immolabatur pascha, *vespere facto, Iesus discumbebat cum duodecim discipulis suis*, Manducato videlicet agno. Id enim nisi stando fieri poterat ab eo præsertim qui *non venerat legem soluere sed adimplere*, Matthæi 5. facta est tandem inter Apostolos *contentio quis eorum videretur esse maior*. Lucæ 22. Deinde surrexit Christus à Cœna illa legali & *lauit pedes discipulorum*. Ioan. 13. Postea dixit, Se eis dedisse humilitatis exemplum, inde Eucharistiam instituens *accepit panem*, vsitatum, qui mensæ appositus erat in cibum, azymum videlicet quia agnus cum azymo pane comedi debebat, non tamen hoc exigentæ sacramenti necessitate sed decentia, Eundem panem *Benedixit*. licet enim εὐχαριστήσας apud Matthæum & Lucam propriè gratiarum actionem significet apud Marcum tamen 14. cap. verbum εὐλογήσας significat benedicere, non modo, eo pacto quo Deum benedicimus, sed etiam quomodo creatura benedicitur cum quis ei bene precatur quale & illud apud Lucam, *Eleuatis manibus suis benedixit eis. Et factum est dum benediceret eos recessit ab eis.* Item *benedicentur in semine tuo omnes gentes*. Sic Christus ipsis panibus & piscibus benedixisse dicitur. Ad hunc modum, panem *benedixit* quam benedictionem verbis oportet fuisse expressam, quia propriè verbis benedicimus, hæc autem benedictio quam Christus protulit super panem non fuit aliud quam prolatio horum verborum *Hoc est corpus meum.* His itaque verbis, ex pane facit corpus suum. Si enim nunc tanta est eorum verborum virtus vt sacerdotes in persona Christi ea proferentes, corpus Domini conficiant, non est existimandum minorem ea vim habuisse cum à Christo proferrentur, Verum hic ordo ab Euangelistis qui solent interdum quædam præoccupare, quædam vero recapitulando narrare, non fuit adeo diligenter expressus, frequenter enim notissima & vsu firmata summatim & compendiose describuntur. At talis ordo satis in cordibus disci-

Exod. 12. Num. 2. Matth. 20.

Luc. vlt. Genes. 22.

pulorum impressus erat tum ex viua voce Christi tum ex vsu consecrandi Quapropter sat fuit Euangelistis rem gestam, nō ordinem, describere. Quod si quispiam vellet mordicus seruare ordinem ab euangelistis descriptum, contra praxim Ecclesiæ vniuersalis, in communione calicis deberent sacerdotes ante verba benedictionis seu consecrationis, bibere, quia apud Marcum prius dicitur quod Christus accepto calice gratias *agens dedit eis & biberunt ex eo omnes*, quam addatur. *Hic est sanguis meus noui testamenti.* At non tantum Catholici sacerdotes, verum & hæreticorum ministri non obstante verborum Christi ordine apud Marcum posito, prius dicunt. *Hic est sanguis meus* quam bibant ex calice Audienda itaque hac in re est Ecclesia quæ ea forma vtitur, qua vsus est Christus à quo solo sacramento trahunt virtutem & formam, Arbitramur ergo hūc ordinem à Christo seruatum fuisse, vt primo acceperit panem, deinde benedixerit, dicens *Hoc est corpus meum*, Postea (ait Euangelista) *fregit* scilicet corpus suum seu panem consecratum *deditq̀; discipulis suis* tam Iudæ quàm aliis vt constat ex Luca qui tradito sanguine dicit Christum dixisse *verumtamen ecce manus tradentis me mecum est in mensa* vbi manifestè liquet Iudam post calicem traditum adfuisse, vt propemodum omnes orthodoxi scriptores docuerunt Postremo *dicit accipite & comedite*, quæ verba non ad formam sed tantum ad vsum sacramenti spectare nemo non videt, Hæc sunt verba sanctorum Apostolorum & Euangelistarum quibus sacra mysterij & sacramenti ostenditur institutio hisq́; liquet Christum accepisse panē, gratias egisse benedixisse & fregisse & dedisse discipulis suis. Conuincuntur hac in parte Nouatores omnes qui omni conatu docere volunt Christum in ipsum panem nihil singulare præter vulgarem porrectionem gessisse, verba ipsa contemnentes, & benedictiones, sanctificationes, atque consecrationes, ab hoc sacramento quantum possunt reiiciunt. Sed de his alias. Veniamus ad ipsa essentialia verba totius mysterij.

Marc. 14.

Luc. 22.

HOC EST CORPVS MEVM, HIC EST SANGVIS MEVS.

Quæquidem tam aperta tam clara & per se intellectu

facillima

facillima vt nullo quouis idiomate aliud ſonent quàm quod Gallus inquit, *Cecy est mon corps.* Germanus, *Das ist mein leib.* Hiſpanus, *Esto es mi cuerpo.* Italus, *Questo è il mio corpo.* Hæreticorum noctuæ huius verbi lucem ferre noluerunt idcirco varias ediderũt commentationes in re tantopere dilucida, vt teſtatur libellus Germanicè editus hoc lemmate paſsim conſpicuus, Ducentæ paucorum iſtorum verborum Chriſti *Hoc eſt corpus meum* interpretationes. Lutherus mortalium confidentiſsimus auſus eſt ſcribere Argentinenſibus dediſſe, quam maximam potuiſſet operam, vt omnia Catholica præſidia euerteret ac deprauaret, ſed hæc verba quibus nimirum noſtra myſteria peragimus, nullam interpretationẽ admiſiſſe. Hoc enim pacto inquit. Me maximè crederem poſſe incõmodare Papatui, ſed nimis vrgent & nimis clara ſunt illa verba *Hoc eſt corpus meum.* Ille ergo qui quæcunque voluit fecit in cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyſsis. *Hoc est corpus meum.* inquit & *hic est ſanguis meus*, non dixit cum hoc pane eſt corpus meũ, aut hoc ſignificat aut figurat corpus & ſanguinem meum, ſed *Hoc est corpus meum*, hoc inquam, non hic panis alioqui ſi panem intelligi voluiſſet, rectius dixiſſet hic, quam hoc. Si enim quiſpiam abecedarius diceret Hoc panis vel hic vinum exibilaretur à toto ſcholarum cœtu. Quemadmodum autem apud Græcos articulorum natura ea eſt vt nomen in oratione poſitum abſque articulo, amplioris ſit ſignificationis & generaliter ſe extendat, ſed quando comitatur articulo induit propriam & particularem alicuius ſpeciei de qua prædicat cognitionem vt ἄνθρωπος homo de pluribus, ſed adiuncto articulo ὁ vel ἡ de ſingulari dicitur. Eiuſdem penè iuris ſunt Pronomina demonſtratiua, quæ ſuaptè paucisſimi ſunt ſenſus, niſi nominibus ſubſtantiuis iungantur vt *Hoc eſt, hic eſt*, nihil propriè innuit, niſi explicetur quod demonſtrant, illiſque congruè addatur. Hoc igitur demonſtratiuum pronomen demonſtrat corpus Chriſti ratione illius momenti, in quo finitur illa oratio, Cum enim ſermo Chriſti operatorius ſit, verificatur oratio illa, *Hoc eſt corpus meum*, nõ pro tẽpore in quo profertur, Hoc ſed pro tempore quo iam prolata eſt, ſicut ſermones omnes

Lutheri inſanus conatus ad abrogandum miſſam.

quibus

quibus quid imperamus aut efficimus, completam habent ſignificationem quando finita eſt oratio vt quando Chriſtus dixit *Remittuntur tibi peccata* Lucæ 7. *filius tuus viuit*, Ioannis 4. Sicut etiam quando dominus imperat ſeruo, *hoc fac*, non oritur obligatio niſi completa oratione. Ineptus autem videretur qui diceret τὸ ἄρτος, Hoc panis, ſed τὸ σῶμά hoc corpus. Pari modo in calice non dixit. Hoc eſt calix ſanguinis mei, ſed *hic eſt calix*, alioqui ſi de vino quod ſubſtantialiter remaneret intelligi voluiſſet, potius dixiſſet, hoc ſcilicet vinum, eſt calix ſanguinis mei. Euangelij attamē corruptiſsimi tenebriones hęretici, ſacrilegè peruertūt atque adulterant Chriſti verba, vt ea ad panem & vinum referri contendant. Sed quomodo clarius dictu oportunum fuiſſet, ad conuincendam pernicioſiſsimam hæreſim de pane & vino remanente, quā quum dixit hoc eſt corpus meum hic eſt ſanguis meus quod tum in manu tenebat demonſtrans. Si itaque illud ipſum fuerat corpus ſuum vt verè dicebat quomodo poterat eſſe panis? niſi abſurdiſſimè dixeris illud vnum fuiſſe duo, vnámve ſubſtantiam eſſe aliam, aut duo ſubſtantialiter diuerſa eſſe ſubſtantialiter vnum, nempe panem eſſe corpus Chriſti humanum, & vinum ſanguinem, quod vt factu eſt impoſsibile, ita & refufugit communis ſenſus, dicit enim numero ſingulari *hoc* quod vtique nam tantum ſubſtantiam demonſtrat, ſine (vt Grammatici tradunt) qualitate, hoc eſt abſque determinatione propriæ naturæ, & nō dixit pluratiuè hæc. Pronomē autē, Hoc, quod eſt ſingularis numeri, demonſtrat corpus in indiuiduo quod nondum eſt, ſed in genere ſubſtantiæ hoc modo *Hoc*, id eſt, hoc ens, quod vobis ſumēdū præbeo, eſt corpus meum, nec explicat quænam ſit illa ſubſtantia, quod relinquitur prędicato explicandum Prædicatū ergo quod ex nomine corpus cōſiſtit, aperit illā ſubſtantiā quæ in ſubiecto pronomine illo *hoc* indefinitè notabatur, eſſe ſubſtantiam corporis Chriſti. Illud namque quod ante exhibitionem & ſacrorum verborum prolationem in manibus geſtabat Chriſtus, erat antea ſubſtantia panis, poſtea ab eo qui id & grandius quodcunque aliud efficere potuit, mutata eſt, in ſubſtantiam ſacri corporis Chriſti, re-

manent autem realiter accidẽtia sine subiecto. Nos namq; qui incalescimur fidei & veritatis ardore per illud pronomen *Hoc*, neutiquam accidentia ipsa demonstramus panem nimirum & vinum sed id substantiæ latens sub his accidentibus quod re vera corpus Christi est. Nec ipsius dissentit oratio ab hac communi & omnibus recepta significatione, cum enim dixit, *hoc est corpus meum* non panem neque panis accidentia ostendebat sed si habeatur ratio ad illud instans quo finitur orationis vniuersa circunscriptio demonstrat substantiam veram sui corporis quæ sub eis abdita intelligebatur. Simili ratione cum dixerat *hic est sanguis meus*, de ea vtique re & substantia intellexit quæ post vltimam verborum prolationem continebatur in eo, quem in manu tunc tenebat calice. Si itaque ea res fuit sanguis non poterat esse vinum. Neque potest dici vtraq; fuisse commixta, sicut neque aquam in vinum à Christo conuersam vnquam simul fuisse aquam & vinum, aut quiddam mixtum ex vtroque, neque virgam mutatam à Moyse in colubrum, simul vnquam fuisse colubrum & virgam vllus vnquam asseruit. Nam iuxtà hanc opinionem neque fuisset sanguis neque vinum sed tertium quiddam ex vtriusque commixtione compositum, quomodo corpus humanum neque terra est neque aqua. *Accepit Christus panem & vinum*, sed discipuli non acceperunt panem neque vinum sed corpus & sanguinẽ eius in quod panem conuerterat. Quod si panis vel vini post exhibitionem remansisset substantia, cum substantia corporis Christi, tum male prædicaretur de pane corpus, & falsa esset hæc prædicatio *hoc est corpus meum*, quia corpus & panis sunt disparata, id est natura & specie discreta, quemadmodum etiam lapis & homo. Disparata autem vt decretum est Logicis nullo modo possunt de se mutuò prædicari. Tam ergo ineffabili modo, incredibili vicinitate, & omninò existentiæ ordine, corpus connectitur speciebus vt licet non inhereant accidentia Christo, personali vnione, tamen vnum ex ambobus fit sacramentum & prædicata specierum sepissimè vt verissimè tribuuntur corpori ac sanguini. Idque illud est quod appellamus *communicationem*,

Ioannis 2.

Exodi 7.

tionem idiomatum, tam in materia incarnationis quam huius ſacramenti (licet non ſit tam plena hic atque illic attributorum communio) Ex quo ſequitur horum accidentium medio ac miniſterio, ſicut per eadem antè panem, ita nunc corpus ac ſanguinem verè à nobis contrectari, manducari, circumgeſtari, carni noſtræ immiſceri, dentibus teri in hoc vel illo loco aut vaſe collocari ibidémque per particulas demonſtratiuas *hic & nunc* indicari communiter cum ipſis accidentibus ſenſibiliter ſacrificari & oculis viſibiliter ad adorationem proponi ac eleuari.

Verbum præterea ſubſtantiuum *Eſt* præſentis temporis quo Chriſtus vſus eſt dicens, *Hoc eſt corpus meum* realem & perfectam veritatem præſentiæ Chriſti in Euchariſtia oſtendit. Non dixit, hoc ſignificat, vel hoc repręſentat & indicat corpus meum: nec hoc eſt figura vel ſignum corporis mei aut hic panis eſt corpus meum ſed ſimpliciter dixit *hoc eſt corpus meum*, In cuius propoſitionis exactiorem diſcuſsionem ſciamus ibi accidens non prædicari de ſubiecto, quòd præter ſubiecti corruptionem adeſſe vel abeſſe contingit, ſicut quando dicitur Homo eſt albus, ſed eſt ibi prædicatio ſubſtantialis, corpus enim Chriſti non eſt accidens ſed ſubſtantia. Vnde in illis verbis verbum *eſt* ſubſtantialiter vel ſubſtantiuè ſumitur & nomen corpus pro ipſa dominici corporis ſubſtantia. Nec abs re Chriſtus affirmatiuam propoſitionem per illud *eſt* illuſtrauit, quo & in aſſertionem veritatis vti nobis iuſsit dicens, *Sit ſermo veſter, Eſt, eſt: Non, non:* Quaſi ad tutelam veri, & falſi exterminium abſque inuolucris iuramentorum, aut ſermonum ambiguitatibus has voculas ſufficere exiſtimaret. Sed Paulus de eodem Chriſto expreſsius loquens *In ipſo* (inquit) *non eſt & non, ſed eſt in illo eſt*, quaſi dicat, Eſt Dei non includit Non. Certum eſt autem id quod duntaxat ſignificat corpus, non eſſe ipſum corpus. Simpliciter autem & natiua huius particulæ virtute *Eſt*, omnem realem veritatem ſuæ præſentiæ in Euchariſtia denotauit. Nihilo enim hoc obſcurus eſt ac ſi haberetur adiuncta negatiua, *hoc non eſt corpus meum*, nec putamus in hominem ſanum & conſtantem hanc interpretationem cadere poſſe, vt explicetur

Matth.5.

2.Corinth.1.

cetur illud *est* per *non est*. Nulla est propositio negatiua in qua *est* debeat summi pro significat, multominus in affirmatiuis ea conditionis forma vsurpabitur cum & Philosophis & Iurisperitis *Oppositorum eadem sit disciplina*. Probatu facillimum erit Antecedens ex ipsius scripturæ sacræ iudicio in quo nunquam Christus vsus est eo verbo substantiuo *Est* pro significat. His saltem authoritatibus firmissimi fundabitur propositi murus. *Hic est filius meus. Verbum caro factum est. Hoc est mandatum meum.* Explorent autem quantum libuerit Hæretici, vtrum illud *est* commodè extorqueri possit pro *significat*. Irritus erit eorum conatus. Vnde constat errare eos tota via qui hæc verba, *Hoc est corpus meum*, ita interpretantur, vt *est* pro significat accipiant & corpus pro figura corporis positum velint, nósque maioribus & obscurioribus inuoluere volunt tenebrarum figuris, vt in figura ipsa veritas corporis Christi per tot figuras veteris legis præfigurata exhibeatur. Nec verentur in Christi contumeliam docere quod promiserit carnem & figuras dederit. Proh infandum genus hominum, qui nec quid dicant nec quorsum tendant aspiciunt, O præclaros Christiani nominis præcones, qui modo ipsum Christum mendacem, modò Histrionem pro rebus verba præbentem fingunt, Vnde istud habetis? Sub quo doctore hæc excepistis insignia glossemata? Sed cum publicè exclametis nihil esse credendum aut docendum in Ecclesia quod non ambiatur sacræ scripturæ authoritate vbi quæso reperistis scriptum quod Christus dixerit: *Hoc est signum corporis mei*? Quísve optimus spiritus interpretanda docuit illa verba, *Hoc est corpus meum*, id est, *cum hoc pane est corpus meum, & hic est sanguis meus*, id est, *cum hoc vino est sanguinis meus*? Depromite arcana vestra mysteria, proferte sacros authores; & si præter Lutherum olidissimum & putidissimum hircum, quempiam habeatis authorem, nominate. Quis lupus è vestris faucibus vocem arripuit, quis grauissimus casus licentioris linguæ impetum frænauit? En vos obmutescitis, vbi est antiqua vestra Polilogia, imò fucata Pseudologia? Quo casu excidit vestrum illud topicum axioma sine scripturis nihil recipiendum? Agite, nos

Math.3.& 17.
Ioan.1.
Ioan.15.

venerandam

venerandam patrum antiquorum caniciem ſuſcipimus & exoſculamur, nos inuiolabilem ſcripturæ ſacræ authoritatem ſummo applauſu amplectimur. Apage miſerum aſinorum gregem.

Nullus eſt qui pertinaces iſtos homunculos cum laruis luctantes ſuppetiis iuuare velit, nullus eſt qui tales ſpurios in legitimorum cœtu conſtituat, ne minima quædam ſcripturæ ſacræ ſententia fallaces iſtos laciniosæ orationis amantes tuetur, vt verba illa. *Hoc eſt corpus meum* circa quæ miris tergiuerſationibus feruntur confundant, aut pro inſane mentis arbitrio violent, in quos ſeuera minatur diuus Ioannes dum inquit. *Si quis appoſuerit ad hæc apponat ſuper illũ Deus, plagas ſcriptas in libro iſto, & ſiquis diminuerit de verbis Prophetiæ libri huius, auferat Deus partem eius, de ligno vitæ & de Ciuitate ſancta & de his quæ ſcripta ſunt in libro iſto.* Qua fronte ergo audent, Nouatores detrahere vel apponere quicquam verbis dicẽtis: *Hoc eſt corpus meum*, Subauditiones varias confingẽtes, vt dicant figuratiuum, vel per ſimilitudinem dictum, quod tamen tantus author Deus & homo, verè & propriè de ſuo corpore eſt loquutus. Nec vnquam legimus Chriſtum nomine corporis aliquando lignum voluiſſe intelligi, ipſaque ſcriptura alium neſcit ſenſum. *Nolite timere* (inquit) *eos qui occidunt corpus*. Hic, corpus non ſignificat ſignum corporis. *Magdalena pariter vnxit corpus Domini*, non ſignum Euangeliſtæ omnes hanc ſignificationem ſequuti ſunt. Demitur ex tota ſcriptura vnus aut alter locus, vbi Corpus pro multitudine & congregatione ſumitur. Volunt tamen omnia figurata ſibi dari hæretici, non corpus ſed figuram corpus. Nec miramur tales Phantaſiaſtas ſola phantaſia eſſe contentos qui cibario pane & vino fortiſsimo ſeſe ingurgitantes, nec corpus Chriſti nec eius figuram habent. Abſit enim vt frenetici exiſtiment in ſua cœna quod porrigunt, eſſe figuram corporis Chriſti, nequaquã decet menſam dæmoniorum cum figura menſæ Domini cõfundere. Ebriis mulierculis conuenientiſsimum ientaculum porrigunt, execrabilia idolothyta, panem incantatum ex Diaboli inſtituto, in contemptum Chriſti proponunt. Sint hæc eorum, veſcantur pane

Apoc. vltim.

Corpus.

Matth. 10.

Marci 14.

Coloſſ. 1.

illo à Pistoribus, Sutoribus, & Agasonibus tractato, vt habeant similes labra lactucas, Nos pretiosa corporis Christi carne, & sanguine corporibus & animabus nostris immortale pabulum damus.

Adest quartum & vltimum membrum verborum Christi in cœnæ consecratione MEVM scilicet pronomen possessiuum quo dicti generalitas coërcetur & cohibetur vt sit integra propositio, si enim Christus solum dixisset *Hoc est corpus* latissima calumniandi & ambigendi area pateret hæreticis. qui in dictionum apiculis pertinacius immorantur, nobísque obscuram dubiorum palæstram aperuisset cum & sint corpora cœlestia & terrestria animalia & spiritualia sed ne in ambiguitatis & incertitudinis pelago nos immergeret propè pronomen istud *Meum* addidit, & nostros cogitatus in amplius sese extendentes ne vltra vagarentur restrinxit, adeò vt non de pluribus corporibus, sed de vno solo atque diuino exponi possit; *Hoc est corpus meum*. Et profectò huius nominis singularitas refertur ad indiuiduum prædicamenti substantiæ, quod de seipso tantum dici potest, nam impossibile est indiuidua prædicamenti substantiæ siuæ primas substantias prædicari nisi de seipsis. Nec negligenda est animaduersio illa qua docemur quod in loquutionibus metaphoricis termini in sua vniuersalitate relinquuntur, absque vna singulari restrictione, quando Christus vocatur *Leo, Agnus, Petra, Vitis, Sol, Lux*, non dicimus Christum esse Leonem qui à Dauide semel occisus est, nec Ioannes ait Ecce hic vel iste agnus illius hominis, nec dixit Christus Ego sum hæc vel ista vitis, sic de cæteris cum ergo restringat corpus per pronomen meum, vocabulum corpus metaphoricè non subsistit Et ideò Lucas apud Bythinēses, Paulus à pud Corinthios diuersis nimirū in locis sed non dispari consensu hanc sacram historiam contexentes voluerunt verbis priorum Euangelistarum ad dirimendam omnem controuersiam relatiuum, *Quod*, addere *quod pro vobis tradetur*, vt Christus dixisse credatur. *Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur.* Nec puto tales viros infectam nobis glaciem horum verborum reliquisse si superstes aliquis scrupulus in interpre

Regula generalis.

Apoc. 5.
1. Cor. 10.
Ioan. 15.
Ioan. 8.

tatione

tatione remansisset, Ea est enim sacræ scripturæ beneuolē-tia vt nequaquam sinat nos per obscura fluctuare quin illico verū sensum nō proponat quo duce cūctis refragari possumus aduersariis telis. Sic & quando Christus Ioan. 7. dicit, *Qui credit in me flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Ne quis arbitraretur eum loqui de aqua visibili & corruptibili quam euomerent fideles superaddit Euangelista: *Hoc autem dixit de spiritu quem accepturi erant credentes in eum.* Et proculdubiò si Paulus nouisset aliquid crudum & indigestum his verbis latere, tenebatur imò obligatione docentis deuinctus erat, ad dilucidiorem eorū propagnādam scriptis suis prӕceptionem, Crudelis enim nimiumq; ferox censeretur doctor, qui aliud doceret quam quod doctrinæ veritas patitur, quiq; inscisos difficultatum nodos relinqueret, vt passim in illis cespitarent discipuli. Conquerebantur adhuc postea de intellectu illius manducationis corporalis, nondum extinctum erat maledictum illum Capharnaitarum *Quomodo.* Gentiles & Philosophi temporibus Pauli ingeniorum acutissimorum acie minimè capere poterant quomodo Christiani Deum quem adorabant manducarent, Sciebant Apostoli, sciebat & Paulus ideò scandalizari tales, cur ergo quum tantopere se profiteantur odire. scādala, illud tacito consensu neglexerunt scandalum, Cur ipse qui testatur se nunquam vesci carnibus si carnium victu aliquem scandalizaret, passus est Præcepto illo Christi de eius manducanda carne & bibendo sanguine innumeros scandalizari? Ea solita charitatis face qua succensus erat, tenebatur auferre & euellere cordibus eorum exortum scandalum. Sed cum Christi verba nullis tropis, nulla figura cingerentur, tantúmque valeant quantum sonant, nec scriptis nec concionibus aliud censuit quam quod Christus dicens. *Hoc est corpus meum*, dederit corpus suum dicipulis in cœna. Multum itaque facere videntur & ad bases construendas rectæ fidei & ad veritatem commendandam vt in hæreticorum cordibus aliquādo sobolescat id quod adiicitur, *Quod pro vobis tradetur.* Hinc enim densissimas prӕstigiatorum figuras frangimus, & verè credimus quod idem corpus in quo tunc præsens coram illis apparuit,

1. Corinth. 8.

apparuit, cum hæc loquebatur, & quod postea in cruce eũ pependit & ibi mortem sustinuit, eis comedendum, & eũdem sanguinem, qui de vulneribus eius profluxit dedit eis bibendum. Nam quemadmodum cum dixisset *Hoc est corpus meum*, vt certius eis & nobis fieret, quod vel quale corpus illis verbis significaretur determinauit cum addidit dicens. *Quod pro vobis tradetur.* Sic etiam cum dixisset. *Hic est enim sanguis meus noui testamenti*, de sanguine determinauit cum subiũxit. *Qui pro vobis & pro multis effundetur.* Christum non ociosè, nec frustra ista protulisse, testis est sermo suus, qui pondere veritatis vbique comitatur. Sedulò obseruandum est, Hostiam pacificam & pro peccato atque delicto (qualis hostia Christi fuit quam dedit pro
Colocen. 1. mũdi vita *factus propiciatio pro peccatis nostris*, Ioannis 2. *Et pacificans per sanguinem Crucis eius siue quæ in terris siue quæ in cælis sunt*) non solum Spiritu sed etiam corpore partim à sacerdotibus ac Leuitis. partim ab offerentibus atque astantibus manducari solitam esse, Hinc est quod Helcana postquam immo lauerat, tum Annę vxori suę partem honorificam, tum phenennæ vxori alteri & cũctis filiis eius & filia-
1. Reg. 1. bus partes dedit. Quando ergo Christus ait, *Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur. Accipite & comedite* significabat corpus quod dabat ad manducãdum, ipsum esse, quod offerre debebat Deo, in sacrificio cruento. Porro discutiẽdi sunt singuli loci Euangelistarum, vbi preciosi calicis habetur mentio, nam quamuis non sit dispar rei gestæ narratio, alij tamen vel vberius, vel breuius eam ediderunt. Matthæus & Marcus historiæ ordinem adeò apprimè non tenuerunt vt Lucas, & ideò illi vnius calicis tantum sunt memores, hic duorum. Nec valet conclusio eorum qui dicunt, eo quod primi subticuerunt alterum calicem, posterior Euangelista non sit credendus. Et cum Lucas solum primam Christi protestationem bibentis primum calicem scripserit, & secundam secundi oblitus quæ à cæteris obseruatur, videretur aliquomodo dissentire à vero ordine, operæpretium est rei difficultatem soluere. Duplicem cibum recenset Dominus apud Lucam, vnum Pascha vetus ex quo dicit se iam non amplius esurum donec impleatur

pleatur in regno Dei,alterum corpus ſuum quod iubet deinceps in ſui memoriam ſumi,parari,& ſacrificari.Iamq́; his diuerſis cibis & epulis, hoc eſt huic duplici cibo duplex pariter calix vel potus adiungitur. Veteri paſchati calix datur quem iubet dominus ab Apoſtolis euacuari & diuidi inter eos,eumq́ue pro coronide & expletiſsimis bellariis Paſchę ceremoniis vſus eſt vt & ipſe teſtatur cum dicit ſe non amplius eo in quo nihil præter genimen vitis ſeu merum vinum bibatur vſurum donec adueniat Dei regnum. Et idcircò pro fœlici fine impoſito omnibus veteris legis figuris & typis ſibi ipſi congratulatur Chriſtus gratias agens Deo patri, paratus ad hominum breui exequendam & parandam ſalutem. Abolitis ergo veteris Paſchatis dapibus,longè celebrius, auguſtius, & ſanctius Conuiuium inſtituit, cuius potum non genimen vitis, ſed ſanguinem ſuum,nec aliquid ad vetus teſtamentum pertinens,ſed ſanguinem illum noui teſtamenti eſſe pronunciat,eúmque in ſui memoriam propinat.Optimè ergo Lucas confert Paſcha vetus cum nouo, & veterem potum cum nouo. Prior aliud nihil eſt præter genimen vitis, & fructus terrenus, Poſterior vero non genimen vitis, non fructus terrenus ſed ſanguis eſt Chriſti, fructus virginalis vteri,qui fluxit in humani generis redemptionem. Euoluantur Euangelia, percurrantur tres ſacri Palatij Chriſti ſcriptores Matthæus, Marcus, & Lucas, nuſquam niſi in vltima Cœna inuenies eos ita deſcripſiſſe vinum periphraſi hac *Genimen vitis*, quemadmodum hoc in loco,vtique non alio conſilio quam vt differentiam vini à ſanguine Chriſti quem ore bibendum in hac cœna propinabat, oſtenderet.Cùm igitur conſtet teſtimonio Euangelij Lucæ abolitum fuiſſe illud genimen vitis cum agno veteri, & ſanguinẽ Chriſti,qui noui teſtamenti eſt, cũ corpore Chriſti ſubſtitui,cumq́; in Euangelio Matthæi& Marci genimẽ vitis dicatur vetus poculum, oppoſitum nouo à Chriſto non amplius bibendum, ſanguis autem Chriſti, potus, & noui teſtamenti, ac proinde nouus potus clariſsimè conuincitur id quod Chriſtus dixit eſſe ſanguinem ſuum,non eſſe genimen vitis vſque adeò vt ex iſtis Euangelij locis

certò liceat statuere dogma Ecclesiæ de transsubstantiatione, quod videlicet sanguis Christi in Eucharistia non sit genimen vitis seu vinum propriè dictum, sed verus & proprius sanguis Christi, qui verè dicitur sanguis noui testamenti. cum eo patres veteris testamenti potiri non potuerint, res autem simul & semel noua & vetus dici nequit, Christus porrexit nobis calicem noui testamenti, ergo conferebat aliquid maius quam quod antiqui testamẽti patribus indultum erat, alioquin nihil noui dedisset, noui testamenti soboli quam tamen tanto amore amplecti & gratia diuina beare voluit. *Quoniam dilexisti* (inquit Psaltes) *in æternum misericordia ædificabitur in cælis propiciabitur veritas tua in eis*. Cœlorum nomine frequenter Ecclesia insignita est, quæ huius æterni testamenti fructibus particeps fuit ab ipsa Christi resurrectionis victoria ad hæc vsque tempora. Non mediocrè robur superioris verbi dabitur ex virili lacerto doctoris gentium Pauli Apostoli qui gloriatur se accepisse à domino quod & nobis tradidit. *Quoniam Dominus Iesus in qua nocte tradebatur accepit panem & gratias agẽs fregit & dixit, Accipite & manducate hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem* Similiter & *calicem postquam cœnauit dicens. Hic calix nouum testamẽtum est in meo sanguine*, &c. Hic tandem conuertant oculos dementes quotquot sunt hæreticæ scholæ discipuli, & videant Paulum vno ore assentire & concordare cum cæteris Euangelistis nimirum quod Christus dederit corpus suum, *Hoc* (inquiens) *est corpus meum*. Quod si clancularius aliquis in his latuisset sensus, rem exactius & clarius profectò exposuisset, sed cõstanter nihil addi vel minu i his sacris verbis posse fatetur. *Panis* (inquit) *quem frangimus nónne participatio corporis Domini est?* Id est, nónne corpus Domini nostri Iesu Christi est quo participamur, vnimur & copulamur? *Calix benedictionis cui benedicimus, nónne communicatio sanguinis Christi est?* Et iterum. *Quicunque manducauerit panem vel biberit calicem Domini indignè reus erit corporis & sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo & sic de pane illo edat, & calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè iudicium sibi manducat & bibit non dijudicans corpus Domini*. Quare tantam Parasceuen,

[Margin notes: 1. Cor. 11. — 1. Cor. 10. — De præparatione ad sacram synaxim.]

rasceuen, tantum examen expetis & Postulas inclite Paule, Si tantum insaniæ consequuti sint hæretici vt imaginatione sola & nescio qua spirituali incantatione Christi corpore vesci se se offerant,& clamitent. Quomodo obsecro reatus ille indignæ sumptionis accusabitur, si præter panem & vinum nihil hauriamus, aut quomodo erit reus quis in noua lege quæ gratiæ & misericordiæ plena est pro solius panis mãducatione? Si in veteri lege qui panes *Marc.14.* propositionis & mannam optatissimam comedebant imparati nullis plectebãtur pœnis. Lex illa prior, crudelitatis & rigoris acerbitate in reos scelerũ animaduertebat, nihil autẽ in eos qui indignè manducabant signa illa nostrę Eucharistiæ decernebat, quantomitiùs ergo lex noua gratiæ, & clementiæ thesaurus, sæuiet in eos qui tantum signa & figuras comedunt? Quantum ergo fallitur minax Paulus si nihil nobis detur in sacramento dempto pane aut vino. Nunquam iniuncta est hominibus tanta cautela, neque præparatio pro solis figuris comedendis, nec in recipientibus sacrum Baptisma, peccati originalis labe deuenustatis paruulis, huiusmodi præparatio requiritur, ast in sacramento altaris, nec paruulis, nec dementibus, nec insanis, *Luc.22.* sed duntaxat adultis & qui se dignè præparare possunt administratur sacra Christi corporis & sanguinis communio. Nunquam populi Israelitici Dux & legislator hanc legem condidit in manducantes Manna indignè, Qui manducauerit mãna & panes propositionis, iudicium sibi mãducat, Iudicium inquam id est cõdemnationem, Quotiescunque siquidem in scripturis sine addito legitur, pro condemnatione sumitur vt Matthæi 3. *Qui non credit iam iudicatus est.* Tanta autem condemnatio antiquitus pro pane cœlitùs demisso suauissimo quantumuis & cæteris panibus propositionis minimè lata fuit. Si quis Caluinista mihi tipum & figuram proferat, ad ea ipsa illum reuoco. Ad nauseam vsque pascebantur olim manna, quis eorum corporis & sanguinis Domini factus est reus? Attamen aliis in rebus Moses erat seuerus, & acerrimus delinquentium, vnde atque religiosissimus censor, dũ verò Manna ederẽt, nihil præscribit, nullum apparatum, nullam ceremoniam.

Nemo tam parum ſcripturæ progymnaſmata guſtauit qui è limine ipſo non ſciat agnum paſchalem noſtri ſacramēti fuiſſe maximum & ſingularem Architypum, nec ignorat multa fuiſſe præſcripta ad eius dignā manducationem, excluſos eſſe peregrinos & aduenas, ſeruabatur ſedes & ſtatus manducationis, cum operoſa temporis conſideratione, conuiuium pingue & oppiparum, variúſque geſtus & ſitus manducantium nullus tamen Iſeraelitarum coercitus eſt uſque adeo vt pœnæ ſuccubuerit quando non interfuiſſet, ſceleratis auaris impiis, inquinatis modo Iudæis veſci agno paſchali fas fuit. Cur iſtos ad tantum facinus Legiſlator impulit ſi futuri erant Chriſti Parricidæ cuius typum indignè comederent? Aut ſi concedas eos fuiſſe legis neceſsitate ad hunc ritum obſeruandum, ad hoc ſignum vorandum adactos, cur (ſi prȩter ſignum ſubſit aliud nihil) in Chriſtianis myſteriis tantum imponis flagitij Paule, niſi velis & pari pœna parique ſupplicio Iudȩos proſequi? Quid iuris ſingularis potius adepti ſunt vt illeſi euadant, Chriſtianis iudicio conuictis? Anne loqueris de ſpirituali manducatione quæ conſiderat cibos famelico latrante tandem ſtomacho? minimè equidem, ſpiritualis enim manducatio ſemper neceſſaria eſt, iis qui paſci deſiderant precioſa carne & ſanguine Chriſti, cum ſit tanquam præparatio & introductio ad eam dignè ſuſcipiendam nec ideò quis iudicandus eſſet. Neceſſe eſt ergo Paulum loqui de manducatione quadam quæ vel bona vel mala eſſe poſsit, vt inde vel iudicium vel præmium ſortiatur, & ea eſt qua nos realiter & veræ participamus corpori Chriſti, carni & ſanguini, quiquidem vt idem Paulus aliter dixit, *aliis eſt odor vitæ in vitam, alius odor mortis in mortem, Et poſitus eſt in ruinam & in reſurrectionem multorum in Iſrael*, non quidem natura ſua ſed vitio accipientium indignè. Quodquidem ſatis probè non intellexerunt Caluiniſtæ qui hinc inde meticuloſum componunt argumentum nóſque fallacem & Deo contumelioſam doctrinam ferre aſſerunt quod putemus carnem Chriſti quæ manducata ipſo teſtante omnibus eſt viuifica mortiferam & exitioſam quibuſdā eſſe. Sed ſcriptura à qua calūniādi anſam temerè

Luca 2.

arripuerunt,

arripuerunt eos vno verbo condemnat. Si enim caro Christi manducata, est omnibus vt viuifica tradunt aduersarij, ex eo quod Christus Ioannis 6. dixit: *Qui manducat meam carnem habet vitam æternam* quomodo Apostolus dixit, *Qui enim manducat indignè iudicium sibi manducat, & bibit?* Quibus námque hæc tam cauta & sollicita animaduersio præcipitur de non indigna manducatione corporis Christi, nisi iis quibus summum est studium idem sacramentum dignè manducare? Vtriusque propositionis ratio in affirmatione & negatione posita est. Idem est enim manducare dignè sacramentum, ac si affirmaretur digna manducatio, Et non manducare dignè ac si negaretur, Quia necessariò est, vt si affirmatio sit falsa negatio vera sit, & è conuerso. Quare si quis dignè sacramentum manducat non solum elementum sensibile manducat, sed corpus Christi siue verè vt nos Catholici profitemur, siue in spiritu tantum vt hæretici, sic etiam qui indignè manducat, non sacramentum solum, sed in sacramento corpus Christi manducat. Falsum est ergo quod Caluiniani blaterones garriunt, cum mali dicuntur sacramentum Eucharistiæ manducare solam speciem visibilem intelligi, accipíque hic sacramentum metonymicè & totum pro parte. Sed ad propositum reuertamur. Cùm Apostolici moniti memoriam refricamus de præparatione ad sacram Synaxim, vix satis mirari soleo temulentam istorum opinionem qui tam operosè se se præparant ad eorum celebrandam cœnam cum etiam fateantur nihil in ea sumi præter panem & vinum: ita enim Christum cœli claustris includunt, vt non sit illi liberum quo libuerit diuertere, neque in eius potestate situm, vt ibi detentus simul tamen alio se valeat conferre. Quomodo ergo participes estis corpori & sanguini Christi? Spiritualiter (aiunt) fide, & facto. At quid opus est tantis præparationibus ad hoc assequendum cum vestris Eleemosynis, piis operibus, & ieiuniis ante cœnam factis, iam susceptus sit Christus spiritualiter? Pręparatio enim illa qua conscientię vestibulum purgatur, conteritur peccati libido, vitæ melioris forma proponitur & speratur peccatorum remissio meritis passionis Christi

 nihil

nihil aliud eſt quam recipere Chriſtum in fide & ſpiritualiter. Adeò vt in veſtra cœna nihil vobis euenit quam quod antea contigerit. Fortaſsis autẽ nullum conſtituitis diſcrimen inter præparationem, & rem præparatione ſuſcipiendam, inter feſtum & Paraſceuem, ſiue vigiliam. Vel nunquam in Philoſophiæ paleſtra vulgò tritum illud axioma: *Propter quod vnum tale & illud magis*, veſtras peruenit ad aures. Sic tamẽ datur Apozema ante Phlebotomiã, paratur & diſponitur corpus Sirupis antequã purgetur. Euangelium Lex præceſsit, Ioannes Baptiſta præparauit viam Domini. Et in his facilè diſcernitur quæ ſit dignior pars an præparatio, an res ipſa in cuius gratiam adhibetur. Probatio illarum ſeriò per Apoſtolum decreta, vera eſt mãducatio ſpiritualis, ſin mauis quædam præparatio ad ſacramentalem, quæ ei non minus cedit quam Apozema, phlebotomiæ, Syrupus, Rheubarbaro, Lex Euangelio, Ioannes Chriſto. Et quanto magis potẽtioris virtutis & efficaciæ eſt hic, ſic ſæuiorem condemnationem minatur iis qui eam indignè ſumunt, quod ſpiritualis manducatio non fert. Ea enim lege inter ſe differunt, vt qui indignè ſpiritualem mãducationem excipit donis ſpiritus ſancti abutatur & ſibi ipſi hoſtis ſit cum illecebris, aut facinoroſis cogitationibus ad ſcelera quæque audenda percellitur, paruifaciens paſſionis Chriſti memoriam non ideò tamen quamuis fructu orbetur, à ſalute excidit, ſed ſi eo animo impuro & imparato corpus Chriſti manducet, non ſimplicis aut plebeij homicidij, ſed ipſius Chriſti mortis reus eſt, imò vehemẽtius ac terribilius iudicium ſibi manducat non diiudicans corpus Domini. Quod ſi ſolum ſignum eſſet eiuſce corporis, nulla eius ab aliis cibis opus eſſet tam anxia diſcretione, qua non habita quiſquis manducauerit iudicium ſibi manducat. Imò vſque adeò non eſt opus panem hunc diſcernere ab aliis panibus ſi ſit merum ſignum, vt potius oporteat eum iudicare aliis panibus prophanis, omninò ſimilem. Quid eſt ergo reus corporis & ſanguinis Domini ſi nec corpus nec ſanguis ſumatur indignè? Sed quomodo ſumeret, ſi ibi corpus non eſſet? Quid opus eſt tantis minis, tanta cautela, tanto ſuipſius examine, ſi nihil

exhibeatur,

exhibeatur nobis in Eucharistia dempto triticeo pane aut azymo. Quàm seuerus esset huius iudicij zelus, quàm grauissima multa puniëtur, rei solius panis, cibo & vini potúque saturi? Quid est causæ, vt tam horrendum facinus, tam grande piaculum admittant accedentes indignè, vt perinde sontes habeantur ac si cum Iudæis Christum egissent in crucem? Tantúmne facinus probabile est admitti propter vinum & panem non satis reuerenter sumptum, si hic nihil sit aliud? Si non est ibi corpus Christi, quis est ille panis aut calix domini, in quo sibi iudicium manducat & bibit, qui indignè illud manducat & bibit, ex quo multos etiam contingit corporaliter infirmari & mori dum indignè communicant? Quod est illud corpus Domini, quod diiudicandum esse Apostolus demonstrat, & quid est diiudicare, corpus Domini? Omnia hæc in cassum profectò & superfluè dicerentur, si ipsum verum Christi corpus in Eucharistia nobis non communicatur. Nam ad iudicium mãducare non possunt corpus Domini qui omninò non mãducant. Sed impij (vt aduersariis placet) non manducant corpus Domini sed tantũ reiiciunt oblatum. Ergo ad iudicium manducare, non possunt, Cęterũ, Fide fit panis Symbolum corporis Domini, vt garriunt hæretici, At plerique conuenientes ad celebrandam passionis memoriam cum Caluinistis fidem non habent. Ergo nec efficiunt Symbolum mãducationis: Quomodo igitur ad iudiciũ manducabunt qui nec corpus nec eius Symbolum manducarunt. Postremò, Spiritualis manducatio & quæ fit per fidem nũquam homini perniciosa aut damnabilis esse potest, quippè quod semper homini vtilis sit ac salutaris, credendo enim Christo, aut illius vniri corpori ardenter desiderando nemo illum offendit, quin potius est optima præparatio ad hunc sacrum cibum suscipiendum. Cum ergo Paulus dicit. *Qui manducat & bibit indignè iudicium sibi manducat & bibit* de alia manducatione loquitur quam de hac spirituali. Atqui nulla alia, præter spiritualem asignari potest nisi realis manducatio. Apostolus igitur de ea ipsa loquitur. Perpendamus exactiùs reliqua verba Apostoli *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem*

tionem. Similiter & calicē postquam cœnauit dicens: Hic calix nouū testamentū est in meo sanguine. Hoc facite quotiescunque bibetis in meam commemorationem. Quotiescunque enim manducabitis panem hunc & calicem bibetis mortem Domini annunciabitis. Hoc facite(inquit)*in meam commemorationem.* Nisi Lector patientissimus aliquo tædio afficeretur in repetitione frequentiore, horum omnium, à capite ad calcem vsque, recensere vellem ea singula vel quæ diximus vel quæ dicenda breuitatis studio omisimus, licèt meum lusurum iri laborem non ignorem, aduersus eos qui nec cœli nec hominū monitis commouentur, quive silice duriores in reprobum

Luc.22. Matth.26. sensum euaserunt. *Hic calix* (inquit) *nouum testamentum est.* Apud Euangelistas est *Hic calix noui & æterni testamenti.* Quæ verba non modici pensi sunt his qui ea paulo sagacius considerare volent, quibus illud primo vultu coniicimus sic se habere hunc sanguinem ad nouum testamentum, sicut se habuit sanguis taurorum & vitulorum ad vetus, & sicut vetus testamentum est confirmatum per sanguinem sacrificij, quem Moses Exod.24. accepit in paterā vt eo aspergeretur & irrigaretur plebs, ita & nouum per hunc sanguinem sacrificij nostri primum dedicatum fuisse, nostrámque Ecclesiam aspersam eo viguisse & floruisse in hodiernum vsque diem, & in æternum permansuram virtute testamenti illius æterni vt idem Christus pollice-

Psal.88. tur Psal 88. *In æternum seruabo illi misericordiam meam*, indubiè credimus & experimur. Huiúsque testamenti inuiolabilis est religio, habétque tabulas verbo diuino sigillatas quas piaculum est frangere, vt in eis aliquid vel addatur vel capitosorum hominum dicacitate minuatur. Legibus ciuilibus, & Cæsareo iure cautum est, ne quis vltimas hominum voluntates falsa interpretatione circumueniat, & omnis interpretatio in dubio facienda est & casu ambiguo & si quæ dubia sit voluntas testatoris adiuuanda est benigna & fauentissima vocum enucleatione, ingratum attamen hæreticorum genus omnia in publicum odium & in reparatæ nostræ salutis indignitatem retulit quæ Deus suo testamento nobis reliquit quod quidem dilacerat & miserè traducit contemnēs præceptum Apostolicū quod

exeeratur eos qui diuinum testamentum iure suo spoliant tamen *hominis testamentum confirmatum nemo spernit aut superordinat Abrahæ dictæ sunt promißiones & semini eius.* Quis audacius irruet in tantam animi petulantiam vt velit in dubium reuocare quæ Deus in testamento suo deliberauit eáque sui sanguinis Chirographo clausit & solenni modo valitura in æternum voluit dicens, *Hic est sanguis meus noui testamenti.* In qualibet contentione, & difficultatis materia vel negatio vel affirmatio litem extinguit, quæ simul vtique coniuncta hominum negocia complectuntur. Nam & omne quod eloquimur, sic aut esse dicamus id, aut non esse quippè necesse est affimationē vel negationem veram esse, vel falsam, vt Philosophicæ palestræ doctoribus decretum est. Verum adhærendo propriis Iurisperitorum terminis, scimus interpretationem obscuritatis quæ ob linguarum diuersitatem exoritur penes peritos remanere, ast vbi nec ambiguitas, nec linguæ barbaries nos impedit quin minus verum & proprium testamenti Christi non habeamus intellectum quę vrtica tetigit Ardeliones hosce hæreticos vt certum per incertum, dilucidum per ignotū, veritatem per figuras interpretentur. Adde quod summus ille testator nihil oblitus est quod ad irritandum reddat testamentum, omnémque iuris diuini solennitatem obseruauit. Cum enim liber esset suíque iuris non de castrensi peculio sed de proprio suo corpore testatus est. Habebat potestatem conuocandi suos, adhibendi testes, constituendi hæredes & vicarios suámque voluntatem declarandi coram Ecclesia quæ ferè toto erat in cœtu Apostolorum in illo insigni cœnaculo discumbente, tunc quoque suæ voluntatis statutum in testamento promulgauit, illúdque sua morte corroborauit & confirmauit. Idcircò posuit testamentum in calice quem demonstrabat. Dicit enim (vt refert Lucas & Paulus) *Hic est calix nouum testamentum in meo sanguine.* Reliqua etiam huius collationis quam Paulus inter duo testamenta instituit, non solū in sanguine fuso & asperso ad dedicationem vtriusque legis & populi cernitur, sed ita ad cætera officia & ritus penè vniuersos referantur, vt nunquam vnius ad alterum exacta correspondentia intelligatur,

Gala. 3.

Stephanus de Federicis in tract. de interp. Iur.

Cic. 2. de Orat.

Arist. lib. 1. περὶ ἑρμηνείας.

intelligatur, nisi seruatorem in cœna & sacrificasse & testamentum suum dedicasse confiteamur. Vides enim comparatum ministrum ministro, tabernaculum tabernaculo, sancta sanctis, vmbram imagini, figuram veritati, Exemplaria cœlestium ipsis cœlestibus, inutiliores hostias melioribus hostiis sanguinem sanguini, aspersionem aspersioni, munditiem carnalem munditiei conscientiæ, temporales promissiones melioribus promissionibus & cætera similia quæ Apostolus accuratè prosequitur, in illo annuo Expiationis summę officio, quod in exemplum totius Christi propitiatoriæ actionis proposuit. Iámque clarius luce ipsa apparuit quod nomine noui testamenti, noui fœderis & noui pacti intelligenda sit illa promissio quam toties vox ipsius Dei stipulata est, *Propitiabor peccatis eorum : Dabo leges meas in corde eorum : Omnes cognoscent me.* Hoc est, promissio accipiendæ remissionis peccatorum, bonorum operum, vitæ æternæ, sicut Hieremias docet. Vetus enim non promittit bene agendi facultatem, vel absolutè mercedem æternæ vitæ veniam: tantum verò, *si feceris* (inquit) *omnia quæ præcipiuntur, viues.* Illa noua Dei promissio non potuit compleri obsistente diuina Iustitia nisi & peccati hominis exolueretur precium, & se se aliquis dignus supplicem apud Christum offerret, cui imp j conuersio concederetur Hic est Christus Dominus, qui dum sanguinem suũ fudit cruce veteris testamenti legata persoluit, nouúmque Dei testamentum impleri promeruit. Vt ipse testatus est in ipsa testamẽti ordinatione sanguinem suũ vocans nouum testamẽtum, quasi ipso promerebatur, quod Deus pollicitus fuerat, peccatorũ nempe remissionẽ. Et quod Matthęus dicit sanguinem Christi esse noui testamenti, qui effusus est in remissionem peccatorum, Apostolus ita pronunciauit Heb. 9. *Sanguis Christi qui per spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundauit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad seruiendum Deo viuenti Et ideò noui testamenti mediator est, vt morte intercedente, in redemptionem earum præuaricationum quæ erant sub priori testamento remissionem accipiãt qui vocati sunt æternæ hæreditatis.* Ad Corinthios verò *calicem* vocat (vt Lucas) *testamentum* non simpliciter, sed *in sanguine*

hoc

hoc eſt per ſanguinem quem continet. Ac ita æquipollent ſibi mutuo hæ ſcripturæ: *ſanguis eſt nouum teſtamentum* & *ſanguis eſt noui teſtamenti*. Phraſis enim ſacræ ſcripturę quæ diſſimilis verbis videtur, vno & ſolo ſenſu vnitur. Plura cuius occurrunt exempla legenti. Similes enim ſunt iſtæ. *Nouum teſtamentum promittit Iuſtitiam & vitam per Christum*, & *Nouum teſtamẽtum promittit Chriſtum Iuſtificatorem.* &c. *Finis præcepti eſt charitas* &. *Finis legis Chriſtus ad Iuſtitiam omni credenti:* Quemadmodum & de Chriſto licet dicere: *Ipſe eſt qui gentes Abrahæ promiſſas benedicit.* Si autem obiter reſpiciamus verborum huius teſtamenti formulas, videbimus omni æquã lance typis prioris teſtamenti copulari & reſpondere & facilè iudicabimus Chriſtum ad inſtitutionem ſui teſtamẽti imitatum fuiſſe ſtatim verba clariſsimi Ducis Fœcialis populi Iſraelitici, qui cum olim pręceptum iuxtà legem expoſuiſſet populo, populúſque acclamaret dicens, *Omnia verba quæ loquutus eſt Dominus faciemus*, ſumpto ſanguine vitulorum & hircorum cum aqua & lana coccinea & hyſſopo ſimul & ipſum librum & totum aſpergebat dicens, *Hic eſt ſanguis teſtamenti quod mandauit ad vos Deus.* Cùm legiſlator noſter viciſsim dicat: *Hic eſt ſanguis noui teſtamenti qui pro vobis effundetur.* Et quod ad ſolennem formam condendi teſtamenti in ſanguine pecoris alludat id ipſum oſtẽdit quod non dixerit ad priorem ſpeciem. Hoc eſt corpus noui teſtamenti, ſicut ad calicem, cuius rei ratio alia non extat, quam quod cæremonia prioris teſtamenti hoc loco implenda non poſuit dedicationem in corpore victimæ, nec pactum inter Deum & hominem, ſed in eiuſdem victimæ exhauſto ſanguine. Nec inconſultò Euangeliſtæ, & Paulus ac liturgiæ omnes in forma calicis non temerè & caſu ſed ſtudio *noui teſtamenti* vocabulum apponunt & ita apponunt vt doceant, Teſtamentum nouum planè fundari in illo ſanguine, non propter futurum ſicut hæretici obganniunt ſed propter tum peractum ſacrificium ac immolatum ſanguinem. Neque enim erat ſanguis futuri ſacrificij in quo dedicauit Moſes vetus fœdus ſed eius victimæ ſanguis fuit, quæ iam antea erat immolata & conſecrata Deo. Ita in præſenti tempore poſuit teſtamentum ſuum

 Seruator-

Seruator noſter in calice quem demonſtrabat dicens. H*ic eſt calix nouum teſtamentum in meo ſanguine.* Ampliora dicenda in huius loci dilucidiorem explanationem non occurrunt, ſed inſanior cæteris omnibus adeſt Caluini obiectio malè intelligentis locum illum Pauli. *Quoniam vnus panis vnum corpus multi ſumus,* in quem ſic elatus & ſuperciliosus furit dicens: *Qua ratione colligeret Paulus nos omnes panem vnum ac corpus vnum eſſe, qui panem vnum ſimul participamus, ſi ſpectrum panis duntaxat, ac non potius naturalis veritas maneret.* Nos verò contrario modo in fanaticum caput Caluini illud retundimus argumentum. Qua ratione colligeret Paulus nos vnum eſſe corpus ſi ſignum duntaxat corporis & non potius ipſum naturale corpus ſumamus? Vbi quæſo ingenij ſui obtuſi aciem aiunt Caluinus in hanc Apoſtoli authoritatem vt panem propriè accipiat? Anne illic? Vnus panis multi ſumus? Sed abſurdo abſurdius eſt, dicere nos omnes vnum panem eſſe propriè dictum, Anne ibi? *Omnes de vno pane participamus?* Verum ſi in Euchariſtia manet veritas naturalis panis, falſum iam erit, omnia de vno pane participare, aut Paulum cum Corinthiis, à quibus aberat dum hæc ſcribebat, vnum panem comedere, Varij enim panes & locorum vel tritici vberiore copia habebantur chariores. Piſtorum arbitrio alij ſuauiores aliis cernebantur. Piſtus ſiquidem in Achaia panis alius erat, alius qui in Aſia, alius qui in Macedonia, rurſum alius panis eſt qui in vna parochia, alius qui in altera ſumitur, ſi tamen manet veritas panis naturalis. Sed neque collapſas vires olim refocillantes vno eodémq; pane veſcebantur, quum opus interdum fuerit iterare ſacrificium noua plebe adueniente. At Eccleſię catholicæ in ſacra Oeconomia vnus idémque perpetuò panis diſtribuitur de quo qui participant vnum idémque Chriſti corpus accipiunt. Offerant autem quicquid habent arguti & reconditi Nouatores vt verè interpretentur nos verè effici vnus panis ſi vnius panis prophani participes ſimus, cum eiuſmodi panis conſumatur ab edentibus, vt inde vnus panis dici non valeamus. Quemadmodum Coræbo ſtultior ille videretur qui in publici popina diceret eos qui eundem panem vel prandentes vel

Obiectio Hæreticorum.

1. Cor. 10.

tes vel cœnantes pariter edunt,vnum effici panem.At participantes de vno corpore Domini quod consumi nequit, ita vniuntur vt vnus panis hinc efficiantur, non quidem naturalis sed vt clariùs exprimit Apostolus,vnus panis qui est ipsum Christi corpus. Ideò ritè adiectum est, vnum corpus &c. Vt ostenderet se non de naturali pane loqui, sed de eo qui est Christi corpus.Atque hic est genuinus& incorruptus huius loci intellectus.Quo duce licebit nobis hac forma argumentationis illum aduersus omnes hæreticorum nænias tueri. Corpus componitur pluribus membris vnitis,nos autem teste Paulo efficimur vnum corpus quia nos vnimur & copulamur vni pani cœlesti, hoc est corpori domini nostri Iesu Christi,per distributionem huius sancti & admirabilis Sacramenti.Siquidem nihil tellus alit, nil Sydera vident quod id virium & efficaciæ habet præter sacrum Christi corpus, quod cum sit vnum diuina potentia vbique & pluribus in locis,nulla loci circumscriptione subsistit,nósq; facit in sua vnitate copulari.Cum ergo sequitur Paulus de pane illo,intelligendum est de celesti & immortali ad quem referri possunt ipsa Christi verba Ioannis 6.*Ego sum panis viuus qui de cœlo descendi.* Si quis autem clācularius sugillator existimet Pauli sententiam nobis aduersari, cūm tantopere refugiamus à metaphoris & metonymiis Caluinianis in testamento Christi, cum dicat nos esse vnum panem, quod nullatenus intelligi potest absque figura & similitudine. Verùm in promptu habemus quod obiiciatur huiusmodi commentis. Nam multum inter se differunt testator,& testatoris interpres. Cum enim implicitis & inextricabilibus verbis testatoris non sit obscurandū volūtatis decretum,aut æquiuocis vti, Interpres tamen vt verba testamenti elucescant suumque sortiatur finem similitudinibus & explicatioribus modis aperire potest quid animi & consilij fuerit in testatore condendo vltimas testamenti sui tabulas. Testator autem iudicatur delirus & mentis non bene compos qui ambagibus & inuolucris vtitur, qua in re testamentum & infirmari, & in nihilum reddi potest.Hęc autem calumnia non torquebitur in Christum qui clarè & expresse pretulit testamenti

intentionem. Subſequutus eſt Paulus & interpretis vices exornans,non ſolùm ſimilitudinibus & metaphoris clariſſima Chriſti verba illuſtrare voluit,ſed ad quem finem vergerent edocuit eleganti & propria parabola, panis & corporis dicens nos effici *vnum corpus* huius panis cœleſtis participatione. Quod ergo adducit Apoſtolus non teſtamentum cenſetur,ſed teſtamenti dilucidior & explicatior enarratio,quam quidem ingens & reconditum multis myſterium appellat. Hinc ergo diſſerit vnionem iſtam mirabilem à mirabili effectu huius ſacramenti reſpectu ipſius corporis & animi humani hoc eſt totius hominis qui ita dum ſacra Chriſti carne veſcitur, copulatur & ſociatur in corpus Chriſti & illud viciſsim ſibi verè naturaliter ac corporaliter vnit, conglutinat ac commiſcet, vt cum Chriſto vna caro & vnum corpus planè fiat & dicatur non propter ſolam ſpiritus,voluntatum & animorum vnionem(ſicut in vehementer amicitiæ aut affinitatis vinculo cõiunctis fit) ſed propter veram & carnalem vtriuſque corporis commixtionem.Et quia eadem numero caro idémque ſanguis me atque te reliquóſq; omnes nutrit(neq; enim vnus hac parte,alter alia veſcitur,aut ſeparantur diſſecatim membra corporis,ſed vno & toto Chriſto corporaliter omnes quot quot ſumus participamus)neceſſum eſt,vt ſicut quiſq; coaleſcit in vnam carnem cum Chriſto ex hac comeſtione,ita etiam omnes connutriti aut conueſcentes eadem numero & ea ſimiliter inter ſe propter hoc tertium in quo conueniunt vnum corpus & vna caro verè exiſtant. Hæc autem arctiſsima & indiſſolubilis vnio,eſt diuina & præcellẽs via, qua Deus efficit vt non ſolum homines inter ſe,& Chriſto capiti per communis naturæ coniunctionem (quod in Incarnatione contigit)ſed etiam in indiuiduæ naturæ copulatione,realiter verè ac corporaliter,ſed mirificè colliguntur. Huius perfectiſsimæ vnionis gratia Eccleſia Chriſti miros & excelſos titulos promeruit vt modo *Corpus* Chriſti,modo *ſponſa* Chriſti,& nos *mẽbra corporis eius, de carne eius eſt de oſſibus eius* dicamur. Quamobrem non abs re Apoſtolus vt clarius fulgor huius coniunctionis eluceſceret ſacramentum & myſterium coniugij fidelium interſeruit.

Luca 2.

Siquidem

Siquidem ſacramenti benedictione copula interueniente ad prolem, iam non duo ſed vna caro, vt Chriſtus teſtatus eſt dicuntur vir & vxor. Hic autem cùm audis, nos aut Eccleſiam Dei fieri vnum corpus naturaliter cum Chriſto, ſicut neceſſario debes intelligere carnalem adunationem & approximationem vtriuſque, ita caue ne putes, noſtrum corpus mutari in corpus Chriſti, aut contra aut vnum numero cum illo fieri, ſicut eſt vna numero natura diuina in tribus perſonis aut nos vnam perſonam cum Chriſto conſtituere. Senſus hic enim tantum eſt nos copulari atque corporaliter carni Chriſti cõiugi quomodo duo diſtincta corpora maris & fœminæ permanentia in ſua indiuidua natura & hypoſtaſi diſcreta propter intimã ad ſobolem parandam mixtionem dicuntur vnum & idem corpus, aut quomodo ferrum aut ſtannum in vnam maſſam coactũ, vel ligna diuerſa clauis coniuncta & ſimilia propter firmam contactu aut permixtione contiguitatem vnum eſſe dicũtur, aut qualis inter infantem & nutricem dum ita ille iſtã attingit corporaliter vt eius natiuo & interno humore nutriatur, eſt ſocietas & coniunctio. Sed & corporũ humanorum ad ſobolem humanam procreandam intimo naturæ voluntatiſq; vinculo initus contractus atque coniunctio eſt planè ſimillima, niſi quod in Euchariſtia noſtra cum Chriſto copulatio tanto arctior eſt, & naturæ magis intima quantò maior exiſtit vnio ſibi & eo veſcentis, quam eorum qui procreationis cauſa commiſcentur. Quæ coniunctio ſeu vnitas ex Euchariſtia non quidem vſque ad conſubſtantialitatem Chriſti, ſed tamen vſque ad germaniſsimam quandam ſocietatem peruenit. Si quis autem dilucidioris ceruicis nutantem habeat animam in vario quæſtionum ſubortu, & miretur de iis qui nunquam perceperunt Chriſti corpus cum Chriſto ſicut & alij cum actu non recipiũt Sacramentum hoc, aut deinde de iis qui indignè idem ſacramentum percipiunt qui non videntur couniri corporaliter Chriſto, hoc totum prius Pauli exemplum expediet facilè, Coniuges enimpropter legitimum ius & intentionem, permixtionis mutuæ iam tum dicuntur vna caro, cùm primum alter alteri eſt ante carnalem copulam ſola

coniugali copula ſociatus. Qui verò accedit ad corpus Chriſti indignè eandem ille quidem carnis coniunctioné actu init, ſed ſicut raptor qui vi inuolat in caſtum virginis corpus cum illa fit vna & eadem caro. Hinc plurimum dementiæ ex argumentis hæreticorum colligitur qui non ſolum nobis inane quoddam corporis Chriſti ſpectrum figurant verum etiam preſsius hunc Pauli locum malo ſuo genio conuertere ſatagunt. Anne putant temerè additum eſſe inſigne illud Epiphonema *Sacramentum hoc magnum eſt?* Debuerat ne tantis præconiis extollere id quod naturali iure omnibus animantibus inſitum eſt, & quod ſuapte turpem peccati colluuié refert, niſi ad aliud pulchrius & grãdius quodpiam referretur? Addite ergo prioribus ſequentia. *Sacramentum hoc magnum eſt dico in Christo & in Eccleſia.* Itáne verò, vbi eſſent cognoſcenda tam ſublimis rei myſteria, id eſt ſacra ſigna, in re pudenda, atque in iis verbis quibus verecundia debetur cognoſci, non debere palam dici homo iſte ſciebat? Et Paulus neſciebat? Abſit vt tantum ignorantiæ obtrudamus in Doctorem ſapientiſsimum, & arcanorum cœleſtium indagatorem non inutilem. Fateamur ergo hanc concordem collationem non abſre edoctã, vt quemadmodum vir ſicut proprium corpus diligit vxorem, ſic & Chriſtus qui ab æterno Eccleſiam ſibi diſpenſauit eam vnico & immarceſcibili amore proſequitur. Et ſicut dos legitima ſtipulatur reciprocè inter virum & vxorem & perinde ſequitur thori copula & vnio carnalis, quæ duo in carne vna inſeparabiliter coniungit, Sic ſacro baptiſmi fœdere Chriſtus Eccleſiam in ſponſam fideliſsimã duxit, data ſunt dotis pignora in reciproca alterius ad alterum donatione, inde conſequuta eſt vera corporalis & ſpiritualis participatio & coniunctio veri & ſubſtantialis corporis & ſanguinis Chriſti. Apoſtolica buccina confirmatur hæc locutio ad Epheſeos 4. *ſolliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis vnum corpus & vnus ſpiritus, ſicut & vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ.* Vbi tantum non ſolum ſpiritualem vnitatem cum Chriſto commendat, ſed & corporalem affirmat Paulus, quæ fit per ſacramentum Altaris. Si enim non corporaliter ſed ſolum ſpiritualiter corpus

Chriſti à nobis participaretur, non debuit Paulus dicere *vnum corpus ſumus.* Sed potius *vnum ſumus ſpiritualiter* vel *vnus ſpiritus tantum ſumus.* Cum enim dixit *vnum corpus ſumus* vnum nos dixit eſſe corporaliter, alioqui illud exemplum panis non conueniret, ſicut ex multis granis fit vnus panis ſic nos multos vnum corpus fieri. Ex multis ſiquidem granis fit vnus panis corporaliter quare & nos multi vnũ corpus efficimur corporaliter? Hoc autem fieri non poteſt niſi per cõmunionem corporalem vnius corporis, ergo niſi corporaliter corpus & ſanguinem Chriſti participaremus non poſſemus effici corporaliter vnum corpus Chriſti miſticè per ſactamentum, nec eſſemus ei *Concorporales* (quod tamen Apoſtolus docet Epheſ. 2) niſi per participationem ſpiritualem ſimul & corporalem corporis Chriſti in ſacramento.

Porrò ne videamur celerius rem grauiſsimam percurriſſe, ex Theologorum placitis lubet pauliſper huic diſcutiendæ vnioni immorari, in qua primum conſiderabimus quot modis hæc vnio formetur. Aliquid ergo diuerſum ſpecie, vnum dici poteſt vel *indiuiduitate* quam Philoſophi eſſe idem numero vocant, nec de pluribus prædicatur verbi gratia quãuis Pater & filius indiuiduitate duæ ſint perſonæ vnum tamen in ſubſtantia vt & ipſe Chriſtus faſſus eſt, *Ego & pater meus vnum ſumus*, execranda ſiquidem foret hæreſis duas ſubſtantias inter Patrem & filium conſtituere: Vel plura vnum ſunt, *per compoſitionem* aut commixtionem ſiue naturalem ſiue artificialem intelligas quemadmodum quatuor elementa inuicem optima temperie permixta vnum corpus faciunt, plures ſcipiones faſciculum vnum componunt, plura pharmaca medicamentum conficiunt, granum cum farina & polline panem efficit. Tertiò totum & partes vnum dicuntur, quia in toto continentur partes, & totum nihil aliud eſt quàm partium coniunctio. Quartò rei cuiuſlibet effectus vnum ſunt, quia ex eadem cauſa prodeunt, veluti vnius genitoris filij vnum dicuntur, vt & nobis aperit ſcripturæ ratio Geneſ. 37. cum Iudas conſuleret fratribus vt potius Iſmaelitis venundaretur quam occideretur Ioſeph dicebat Ecce Iſmaelitę tranſeunt

Quot modis aliquid ſpecie diuerſum vnũ dicatur.

Iohan. 10.

ſeunt,venite venundetur & manus noſtræ non polluantur, caro enim & frater noſter eſt. Effectus quoque vnum dicitur cum cauſa,quemadmodũ caro Euæ cum carne Adami à qua exiliit & exorta eſt vna caro dicitur. Ea pariter quæ mutuo contactu inter ſe coeunt & commiſcentur vnum ſunt,vt ſæpius in ſcriptura legitur, & eadem loquutionis
1.Cor.6. forma vſus eſt Paulus dicens: *An neſcitis quoniam qui adhæret meretrici vnum corpus efficitur?* Philoſophis hæc vnio,vnio contiguitatis appellatur, modo vera commixtio,modo attactus apud ſacræ ſcripturæ interpretes cenſetur. Perſcrutemur tandem, qua generum horum vnionis diuiſione Chriſtus cum Eccleſia vna caro dicatur, nec puto quempiam imperitum adeò qui velit hoc referre ad primum quod eſt indiuiduitatis,alioquin neceſſariò oporteret corpora noſtra eſſe verum,proprium, & naturale Chriſti corpus paſſum in cruce, in tumulo conditum, & in dextera patris ſedens, quod quidem non ſine magna abſurditate nec dici nec excogitari poteſt. Si enim hac indiuidua natura,corpora noſtra vnum eſſent cum corpore Chriſti, ſequeretur ea ipſa fuiſſe ſancti ſpiritus opificio in aluo virginali coagulata, compacta,& incarnata, poſtmodum cruci affixa,quódq; poſt triduum à mortuis ſurrexiſſent, & cœli culmina conſcenderent naturæ denegato iure. Cum autẽ ipſius ſcripturæ authoritas dicat carnem Chriſti, & carnẽ Eccleſiæ eſſe vnam, neceſſariò ſequitur eos fateri id fieri per cõmixtionem, aut compoſitionẽ vnius cum altera, vel quia ab eodem principio producuntur, vel quia vna ab altera elicitur. Hæc autem varia vnionis genera, commodè hanc vnionem Chriſti cum Eccleſia intuentur, vt vnum corpus efficiamur & membra ex carne & ex oſsibus eius. Vt enim non ſolum per dilectionem,ſed re ipſa in illam Domini noſtri Ieſu Chriſti carnem vniamur,illud ſacramẽ tali & vera ſui ſanguinis & corporis participatione efficitur. Cùm enim nos pretioſo ditare vellet amoris & gratiæ munere,nihil ſublimius aut excelſius dare voluit, quam quod toties pollicitum fuerat, quo quidem priſca omnia perſoluta ſunt. Itaque Chriſto coniungimur, vt ſacramento matrimonij coniuncti,firmius vnam carnem ſimul non

conſtituant

conſtituant quam nos de vno pane participantes, quoniam corporaliter Chriſto per ſuæ carnis communicationem copulamus. Quemadmodum ſi quis igne liquefactam ceram aliæ ceræ ſimiliter liquefactæ ita miſcuerit, vt vnum quod ex vtriſque factum videatur, ſic communicatione corporis & ſanguinis Chriſti ipſe in nobis eſt & nos in ipſo. Simile.

Hæreticorum ὑστερολογία vel nequit vel renuit hunc corporum cum corpore nexum comprehendere, ſed tenaciùs inhæret Pauli Apoſtoli ſimilitudini, quam non ad protoparentes refert nimirum ad Euam è coſta Adę creatam, ſed ad carnalem copulam quæ intercedit coniugali vinculo ſociatis. Iſtis ergo non parum ſuccenſere ſoleo, quorum imperitia in ſacris reuoluendis locis, tantos errorum riuulos ſcaturire facit. Vellem vt acutiùs meditarentur parabolarum naturas antequam tam ſtupida & callida effutirent dogmata huius noui Euangelij. Ignorant quomodo duæ res poſsint conſtituere vnum ſignum, vel ſacramentum, cum certò legant apud Apoſtolum Adamum eſſe ſignum Chriſti & Euam Eccleſiæ. Vtinam cum tota Theologorum ſchola ſaperent, quod vnitas ſacramenti non eſt vnitas *indiuiſibilitatis*, vt puncti, nec *continuationis* vt lineæ, nec *eſſentiæ*, vt in ſimplicibus ſubſtantiis, vel etiam compoſitis ex materia & forma ſubſtantialibus, nec *ſuppoſiti*, vt ſubiecti & accidentis, ſed eſt vnitas *perfectionis* quæ conſiſtit in concurſu omnium eorum, quæ requiruntur ad conſequendum finem ad quem res ordinatur. Et cum hoc ſacramẽtum ſit vera coadunatio qua corporaliter vnimur & copulamur Chriſto non minus quam qui matrimonij fœdere coniunguntur, id ferre nequeunt noſque omninò diſſolui cupiunt ab hac fœlici & fauſta copulatione, illamq́; fantaſticam conſtituunt nulliúſque aut exigui roboris, ita vt lacerari & rumpi facillimè queat. His emiſsis errorum & præſtigiorum internunciis in tantam audaciam feruntur vt dicere non dubitent, locorum diſtantiam inter Chriſtum & nos terræ incolas, nihil impediment. præſtare quo minus caro de carne ſua, & oſſa de oſsibus ſuis efficiamur. Verumtamen ex his terminis *coniunctio* & *diſtantia*, aperta elicitur contradictio & repugnantia, quæ aduerſariorum Ephe. 5.

 deſtruunt

destruunt propositiones. Quis enim id euentu facile iudicabit, vt membra corporis separari posint absque subiecti pernicie & detrimento à corpore cui compacta & iuncta sunt? Quomodo verè & realiter tanta Analysis sin mauis Anatomia exequitur? Membra enim separata à corpore, corporis amplius membra non dicuntur. Amisso enim id quod dat esse rei, amittitur pariter rei denominatio. Si ergo Christi corpus vt nugantur hæretici tanta locorum intercapedine distat & realiter separatur à nostris corporibus, falso eius membra nos esse existimabimus. Id quod fefellit aduersarios vel in quo plures ab aduersariis falsi sunt, est ipsius nominis *Corpus* æquiuocum, quod leuiùs suspexerũt aut fortarsis illius naturam non intellexerunt. Aliquando enim sumitur pro corpore mystico duntaxat hoc est *Ecclesia* vt Paulus (inquit) aliquando pro vero & proprio Christi corpore vt his verbis *Accipite hoc est corpus meum*. Ex vtriusque vocis conditione propositio confirmatur fideles iungi corpori Christi quia sunt membra Ecclesiæ quæ est corpus mysticum Christi, & realiter copulari eiusdem corpori per realem & naturalem participationem carnis suæ quę continetur sub speciebus panis & vini in sacramento altaris. Sed petulantisimi ministri vbi loquimur de carne naturali Christi eiúsque vera participatione qua efficimur vnum corpus cum Christi corpore, omnem prudentiæ candorem exuunt, inconsulto verba euomunt, confundunt rerum proprietates, & certa malitia vt credulas vulgi fascinent aures mysticum corpus Christi hac in re intellectum iri exclamant, & suffrigidum hoc argumentum gloriosi Sophistæ Syllogizant. Distantia locorum non impedit quo minus simus vna caro & vnum corpus cum Christo, sicuti vir & vxor variis locorum interuallis seiuncti non desinunt semper vnum corpus esse, temporum ergo distantia pari modo non obstat quin fideles vnum corpus efficiantur cum Christo, veráque sua carne & roseo sanguine non vescantur. Audistis nouam ratiocinandi peritiam. Sed age concedatur antecedens hæreticis ne dementius efferascant. Quis autem eo concesso optime sequi arbitrabitu temporis distantiam non impedire talem corporum vnionem

Col. 1.

Hæreticorum obiectio.

nem & coniunctionem. Antequam exoriantur in lucem communem vitæ, vir & vxor nō eadem caro dicuntur, nec postquam è viuis discesserint. Tēpus ergo illis obest nec permittit perpetuam coniunctionem. Pater qui proximè Virgini pollicetur se daturum filium nasciturum ei in virum non facit vt Virgo vna dicatur caro cum eo qui nondum natus est. Ex hac similitudinum collectione nos elicimus absolutissimum argumentum ad coercendas hæreticorum querelas. Ecclesia non habuit Christum pro sponso quatumuis verba plurima promissionum de futuro prius præcesserint, quousque natus & incarnatus est, is enim secundum humanitatem natus est sponsus Ecclesiæ non secundum diuinitatem. Antequam ergo humanos artus induisset non erat vna caro cum Ecclesia nec vnum corpus, & per consequens Patres qui ante eius aduentum vixerunt nō fuerunt caro carnis Christ, nec ossa de ossibus eius, nec verè eius sanguine & carne depasti sunt. Quæ res adeo clarescit & fulget, vt is verè vel Bubo vel lucis penitus osor existimādus sit qui ad hanc veritatis facem oculos longo sopore mersos aperire nolit. Hinc destruuntur & æquantur temerariis hominum superborum ruinis argumenta omnia, quæ hactenus ab hæreticis eiaculata sunt in assertionem, quod Patres antiqui semper potiti sunt Christi carne & sanguine, eoque maximè coniuncti fuisse antequam humanam carnem & sanguinem in terris sumpsisset. Nemo tam parum fœliciter adscriptus est in numerum verè differentium qui non probè ita ratiocinetur. Nullus potest comedere quod non est, antequam Christus incarnaretur non habebat corpus, nec carnem, aut sanguinem, qui ergo ante incarnationem extiterunt nec verè nec realiter Christi carnem manducare potuere. Sed habebant fidem quæ eos pasci fecit spiritualiter. Abeant in malam partem phantastici isti conuiuæ qui ad sedandam animæ esuriem figuratis cibis vtuntur, & cum in cibis corporalibus solo desiderio concupiscentia, & imaginatione non pascantur, nobis tamen persuadere putant id in Christi corporis manducatione fieri. Experientur aliquoties cum animarum iactura quantum aberrent à veritate nisi citius resipuerint,

puerint,Deus enim fœcem ſpernit,rebellium potiſsimum, qui certo propoſito in cæcitate & luto errorum immorantur,& perditiſsimè volutantur. At vero quæ priori inſolentior & petulantior caterua audaci frõte & ſurẽtibus oculis me iam longa & acerrima pugna delaſſatum,ad grauiorem impetum prouocat,ſéque manus conſerendas iam iam pręparat. Quam turpes,bone Deus,quam tenebricoſi,diſcalciati,nudi,mucoſi,lippi,macri,deformes, ſquallidi,fumoſi, palantes, famelici omnes quotquot ſunt prodeunt. Prodeunt autem Deum cœlúmque minantes, quorum præſidia militaria ſunt Blaſphemiæ,infidelitates, impoſsibilitates,& nugæ, eos vndique Atheiſtarum fanaticæ cohortes ambiunt.Sunt profectò (ni fallor) fallor autem minimè, Lutherani impanatores. Ducis furor, & caſtrorum inanis impetus,eos ſatis notos efficit. Vnanimiter pro certaminis vociferatione,decernunt ac ſtatuunt Catholicos penè omnes artolatras eſſe,quod panẽ in Euchariſtia adorent,tranſubſtantiationis nouo exorto commento. Non erat profectò inſtituti mei ratio tam prolixis & inutiliſsimis quæſtionibus thema protelare,cogor autem phreneticorum compeſcere paroxyſmos, Deum autem atque hominum fidem teſtor,quam ægrè accingar ad hanc propulſandam rabiem & controuerſiam quæ nihil in ſe habet Chriſtiani nominis. Quis enim verè Chriſtianus audebit dubitare de Dei potentia? Quis reuocabit in dubium an Deus omnipotens ſit? Hæretici tamen ij ſunt qui peſſundata fidei virtute ſupramodum conqueruntur an Deus commutare poſsit ſubſtantias. O quantum eſt in rebus inane! O indignas hominũ in religione querelas! O futiles hæreticorum logomachias & Laberynthos inexplicabiles. Siccine curioſius diuina opera excutienda ſunt, vt ſuperſit aliquis hominum in cuius corde incrudelitatis illud nefarium *Quomodo* foueatur? Contra oppugnatores diuinæ potentiæ, ſolis diuinæ potentiæ miraculis diſceptandum eſt. Neque longiùs petemus probationes quam ab his, quæ & hæretici negare piaculum & ſummum impiamentum eſſe iudicant. Iam verò ſi quis ex eorum numero qui ſe omnia ſcire iactitant interrogatus,vtrum primus homo ex terra formatus ſit an

De tranſubſtantione panis in corpus Chriſti.

aliunde. Vltro profecto fatebitur quod ex terra? Explicet ergo ingenij lucem & ab eius vberrimo penore dicat nobis quomodo ex terra facta sit natura carnis, aut quomodo ex vna subiecta materia, tot diuersarum substantiarum qualitates (quibus Microcosmos noster cōpositus est) prodierint. Antequam reconditarum rerum indagatores efficiantur aduersarij, dicant quæso quomodo panis & alimentum in chilim & in humorum qualitates transformentur nempe in sanguinem, colorem tum acrem, tum flauam & phlegma, in corporis commodum. Vxor Loth versa est in statuam salis. Virga facta est serpens, in virgæ naturam rursus reuertitur coluber. Erumpunt sanguine flumina AEgyptiorum, & in purum aquarum candorem remearunt. Pedestres Israelitæ vndas pernatant, & in murorum speciem congelatur mare. Præter naturam ferrum quod excidit è securi super aquas natauit. Aquæ de silicibus rupium exiliere. Quod si tantum valuit sermo vel Mosis vel Heliæ, quid dicemus de verbo illius, qui verbo naturas rerum fecit, cui omnia subiiciuntur, dixit & facta sunt, qui ambulauit cum corpore supra mare, & titubantem Apostolum ambulare fecit, qui ianuis clausis ingressus est domum, egressus est de sepulchro lapide, & claustris immotis. Quis loquetur potentias domini & auditas faciet laudes eius? Discute Luthere omnes dubitationum scopulos, qui tua mentis promptitudine Dei potentiam metiri cupis. Indocilis est Lutherus, nec alios doctores audit nisi qui ab atris Plutonis gymnasiis prodeunt, vt eum somnia & imposturas doceant. Hoc nomen transubstantiationis mōstrosum appellat & sophisticum, instar Arrianorum olim impugnantium ὁμοούσιον. Huius autem nominis origo in sacro Oecumenico Concilio Lateranensi tradita est. Intelligant ergo Christiani substantiam panis in substantiā corporis Christi & substantiam vini in substantiam sanguinis eius, vi diuinorum verborum transferri. Nec audiendus est Hæreticus, dum clamitat illud nomen non inueniri in sacra scriptura, quia si hæc quæstio congrua haberetur, multum angeremur ad probandam Trinitatem cuius determinato vocabulo nulla fit in sacra scriptura mentio, nec plurimorum

Genesis 19. Exodi 4.

4. Reg. 6. Exodi 14. Iosue 2.

Marci 6. Ioannis 20.

plurimorum nominũ quorum inuiolabilis eſt religio in fide Chriſtiana. Nec ignoramus ante mille ducentos annos μεταϛοιχέιωσιν μεταποίησιν deinde tranſſubſtãtionem vocatã, fuiſſe ab Eccleſiæ primorib. nec id cauſa nec iudicio digniſſimo caruit cũ enim ipſius naturalis Philoſophię inſtinctu conſtet plures demutationes rerum inuicem propagari, vt accidentium in accidentia, quemadmodum flauum in album, album in nigrum, & cætera colorum genera in exteros varióſque colores, quemadmodum modicum in maius, ſanitas in morbum, diſpoſitio in habitum, & conſuetudo in naturam, item fit demutatio ſubſtantiarum in ſubſtantias, veluti cibus conuertitur in noſtram ſubſtantiam cum detrimento & amiſsione formæ, quantitatis, guſtus, & ſaporis. Et quia ſæpiuſculè ſubſtantię rerum naturalium, in ſubſtantias naturales itidem coeunt, cum accidentiũ abolitione quam nos alterationem vocamus, vt ſubſtantia aëris in ſubſtantiam ignis, cum amiſsione humiditatis, aquæ in aerem cum deletione frigiditatis, &c. nos tamen videmus in auguſtiſsimo ſacramento altaris mirabilem ſubſtantiarum conuerſionem fieri ſine accidentium panis & vini alteratione, & ideò vt ceteræ conuerſiones & mutationes commodiùs diſcriminarentur, huic additum eſt nomen Tranſſubſtantationis in quod tam rabidè debacchantur hæretici. Simpliciſsimo vocabulo vſa eſt Eccleſia, ſed apto & congruo, hoc enim ſignificat illud nomen quod ante conſecrationem alia ſit ſubſtantia in manibus ſacerdotis, quæ poſtea non eſt & alia poſt conſecrationem quę antea non erat.

Sed quorſum attinet digladiari de nomine cum conſtet de re. Nonne docuimus Chriſtum inter ſacræ cœnæ myſteria ſubſtantiam panis, quam acceperat in manibus ſua diuina potentia, & conſecratione, effeciſſe corpus ſuum vt iam quod daret, non eſſet ſubſtantia panis: ſed ſubſtantia corporis ſui quam benedictio conſecrarat? Hoc ad perpendiculum examinauimus, & veritate ipſa veriora credimus. Quid oſcitamus, quid in næniis hæreticis moriamur, quas nec refellere rei abſurditas prohibet, & fidei orthodoxæ conſenſus cõtemnit? Quantũ increduliores ipſo dæmone

censentur aduersarij quiquidem omnis malitiæ artifex nunquam satis vituperatus credidit eam possibilem esse, quando dixit ad Christum. *Dic vt lapides isti panes fiant.* Si enim non credidisset id posse fieri, nimirum vt substantia lapidis mutaretur in substantiam panis & hoc à filio Dei frustra illi hoc proposuisset. Ecce dæmones credunt & contremiscunt, & hoc quod diabolus credidit aduersarij credere recusant, cui tamē tam fimiter in aliis morē gerere videntur controuersiis. Infidelitate pariter & mentis pertinacia ipsos Iudæos superant. Cum enim promisisset Dominis *Ecce ego pluam vobis panes de cælo*, & iterum, *mane saturabimini panibus*, vidisséntque mane filij Israel Manna, dixerunt (inquit scriptura) adinuicem מן־הוא *Man-hu* quod significat, *quid est hoc?* ignorabant enim (inquit) quid esset. Perinde itaque erat quasi mirabundi & attoniti dicerent quomodo potest esse hoc quod videmus panis? non enim erat frumentum, sed vt inquit Moses minutum & quasi pilo tusum ad similitudinem pruinæ super terram, quibus ait Moyses. *Iste est panis quod Dominus dedit vobis*, quod si illi qui adinuicem dixerunt, *Quid est hoc* vnius Mosis voci asserenti esse *panem* quem Dominus dedisset sicut pollicitus fuerat, quamuis nec triticum nec speciem panis viderent, neque gustassent, tam crediderunt quanto magis Hæreticus credere compellitur Christo dicenti *Hoc est corpus meum* & *Nisi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis* At verò si noster hic panis aliud sit nihil quam panis infra Iudaici manna dignitatem longè subsistet, nósque iam vilioribus vtemur sacramentis, cum eò sublimiora nostra esse conueniat quò propius ad cœlestem illum archetypum accessimus. Hæc oratio Christi omnem litem dirimit, quia vera est. *Hoc est corpus meum*, & vera est quia est ipsius veritatis. Et cum vera sit necessariò sequitur quod adest & manet corpus Christi in hostia, facta verborum prolatione, quibus consistit tota perfectio huius sacramenti. Quamprimum enim intentione consecrandi proferuntur à sacerdote consecrante verba Eucharistię consecratoria verè & substantialiter perficitur hoc sacramentum, & verè

Hæretici animo duriores ipsis Israelitis.

Ευλογια μυστικη Benedictio mistica.

& ſubſtantialiter adſunt, corpus & ſanguis Chriſti, quia verba illa ſunt ipſius Chriſti, qui eſt veritas qui mentiri aut falſum dicere non poteſt. Temerarij autem ſunt hæretici qui ex verbis nihil præter veritatis manifeſtiſsimum iubar reſplendentibus, ſpectra quædam & fabuloſiſsima commenta moliri ſatagunt Non eſt equidem Chriſtus pro Laban exiſtimandus qui fraudulenter ſupponat Liam pro Rachele, aut Circulator pro rebus verba venditans, aut quiſpiam Hiſtrio multa in fronte pollicitus nihil in receſſu præſtans. Corpus ſuum ad manducandum & ſanguinē ad bibendum dedit, idq; verbis adeò clariſsimis expreſsit vt nihil clarius. Quid igitur commentitiæ ſcrupuloſitatis remanet in his Nouatoribus contumacibus & rebellibus? Quid obſtat quin veritatis luce cognita tot elapſi in errore temporis non pœniteant, & Eccleſiæ orthodoxam authoritatem, non amplectantur? En quid audio eos cornicari. Anne adorationem Chriſti in Euchariſtia ſubſannant irrident, & refugiunt? O peſtilentiſsima guttura! Adeò ne ſacrilegus quiſpiam inuenitur vt adorandā diuinitatē ſubdubitet cum & Ethnico illo legiſlatori nulla legis condendæ cauſa de adorando numine ſe ſe obtulerit eo quod non putaret neminem adeo proteruum qui ſuperos colendos eſſe negaret. Sed vt paululum mihi ratiocinari liceat. Si Chriſtus humana carne amictus in vili præſepio inter tenues pannos præſepij iacens, cœleſti Angelorum Ierarchiæ ſummo cultu ſuſpiciebatur, ſi inquam in terras veniens, hoc eſt incipiens eſſe in orbe eo modo quo ante nō fuerat ab angelis fuit adoratus quidni adoretur etiam nūc à miſeris mortalibus, cum ſingulis penè momentis in altaribus eà ratione exiſtat, qua prius non fuit, cum eadem ſit caro, ſanguis idem, eadémque prorſus perſona filius Dei, niſi quod nobis immortalis, glorioſus, nulliſque miſeriis ac doloribus obnoxius proponatur adorandus, quem ad huius mundi infinitas moleſtias calamitates, famem, ſitim, æſtus, frigora, lachrymas, flagella, ſupplicia mortem denique tollerandam venientem angeli ſumma veneratione ſunt proſequuti? Si Chriſti corpus eſt in ſacramento altaris vt verè & realiter eſſe probauimus, quare corpus Chriſti

Geneſ. 29.

De adoratione corporis Chriſti in Euchariſtia.

non

non adorabitur cum ſcriptum ſit Dominum Deum tuum adorabis? *Adorate ſcabellum pedum eius* (inquit) Pſaltes *quoniam ſanctum est. Edent pauperes & ſaturabuntur & laudabunt Dominũ qui requirunt eum. Manducauerunt & adorauerunt omnes pingues terræ*, non obſcurè prædicens Chriſtianos ſacræ cõmunionis tempore, venerabundos acceſſuros ad menſam atque adoraturos hoc corpus, quod ſuſcipiunt. Nec video quomodo poſſet Chriſtus glorificari, iuxtà Eſaiæ vaticinium 24. cap *in conſpectu preſbyterorum* niſi in eleuatione ſacrificij adoraretur. Adde Apoſtolum Paulum ſcripſiſſe 2. Theſſalo. 2. ſuo tempore eleuatam fuiſſe euchariſtiam vt ſupremo adorationis genere adoraretur vbi Chriſto Antichriſtum opponens affirmat ipſum ſeſſurum in templo Dei ἀποδεικνύντα ἑαυτὸν ὅτι ἐστὶ θεός, id eſt, *Oſtentabit ſe & apparere faciet ac ſi eſſe Deus* vt ſcilicet adoretur ab his qui Chriſtum adorabant monſtratum in eleuatione ſacrificij. Eam enim vim habet dictio qua Apoſtolus vtitur, vt aliquid externi appareat quod monſtretur & adoretur vt Deus. Sed nónne eſt axioma per ſe notum Deum vbicunque ſit & in qualibet ſpecie, adorandum eſſe, præſertim vbi certa, & euidentia, cáque diuina ſunt eius præſentiæ teſtimonia? Apparuit dominus Abrahæ patri omnium credentium in ſpecie triũm Angelorum in valle Mambræ quos cum tres vidiſſet vnum adorauit Geneſis 13. Apparuit Iacob in forma ipſi ſoli cognita, Geneſis 28. innixus ſcalæ ſurgit & adorat *verè Deus eſt in loco iſto & ego neſciebam*. Apparuit Moyſi in flamma ignis de medio rubi Exod. 3 quod cum liberiùs accedere voluiſſet audit, *Non appropinques huc, ſolue calciamentum de pedibus tuis*. Apparuit Ioſue ſub forma militis & ab eo adoratur ſic denique in *ſanctis ſanctorum*, ſic *in caligine templi*, ſic *in arca* adorari ſolebat abſque vllo particulari præcepto, idque ab illo populo qui ad omnem idololatriam, natura procliuis fuit. At verò Chriſtus perfectus Deus & perfectus homo ſub ſpeciebus panis & vini continetur, vt ſuperius docuit ille qui peccatum non fecit nec inuentus eſt dolus in ore eius, qui eſt via veritas & vita Neque ſimpliciter aut vtcunque docuit. Sed ſub quatuor teſtibus tribus inquam euangeliſtis & quarto doctore, gẽ-

Deuteron 6.
Math. 4.
Pſalm 98.
Pſalm. 21.

tium Paulo ſub illis & ſpeciebus adorandus eſt Chriſtus non modo ab hominibus, ſed & ab angelis vt Apoſtolus poſt Dauidem docet Hebræorũ.1. *Cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ dicit. Et adorent eum omnes Angeli Dei* Et ſanè cum Chriſtus non ſic cœlo ſit incluſus vt in eccleſia militante non ſit, quemadmodum elicitur ex cap. 12. Epiſtolæ ad Hebræos. *Acceſſiſtis* (inquit) *ad Sion montem & ciuitatem Dei viuentis Hieruſalem cæleſtem & multorum millia Angelorum frequentium & Eccleſiam primitiuorum qui conſcripti ſunt in cælis, & ad iudicem omnium Deum & ſpirituum iuſtorum perfectorum & teſtamenti mediatorem Ieſum & ſanguinis aſperſionem melius loquentem quam Abel*, vbi Paulus ſatis declarat ſe loqui de Eccleſia quæ in terra eſt cum dicit *Eccleſiam primitiuorum* & iterum cum de *aſperſione ſanguinis Chriſti* loquitur, cum aſperſio ſanguinis Chriſti nõ ſit in cœlis ſed tantum in terra, nimirum in eccleſia catholica diſtribuitur, ſi-
Luc. 22. cut ſcriptum eſt Lucæ *& accepto calice dixit accipite & diuidite inter vos*. Mirum non eſt ſi illa angelorum frequentia in eccleſia ad quam accedimus, *Iudicem omnium Deum & ſanguinem Chriſti* qui fidelibus diuiditur, ſemper nocte & die in Eccleſiis noſtris cultu ſupremo adorat. Sedulò autem obſeruandum eſt, omnem honorem & adorationem non ad aliquam naturam aut partem perſonæ, ſed ad totã referri perſonam, neque enim in homine aut ſolam animã rationalem, aut ſolam carnem colimus, ſed totam perſonam ex anima ratione participe & humana carne conſtitutam. Sic in Chriſto domino, non ſolam diuinitatem nec ſolam humanitatem colimus, ſed diuinitatem ſimul & humanitatem vna adoratione veneramur, quia vtraque natura vnam conſtituit perſonam. De tali adoratione dixit
Pſalm. 21. Pſaltes. *Et adorabunt in conſpectu eius vniuerſæ familiæ gentium* Et Paulus loco citato cum introduceret primogenitum in
Pſal. 96. orbem terrarum dicit. *Et adorent omnes angeli Dei* quaſi diceret non ſolum cum eſſet in ſinu patris, non tantum cum eſſet in forma Dei, adoratus fuit ab angelis, ſed etiam cum
Matth. 20. venit per incarnationem in orbem terrarum. Cum venit non miniſtrari, ſed miniſtrare, non adorari, ſed flagellari, & crucifigi, tunc adorabitur ab angelis. Talem Ioannes

in vtero

in vtero adorauit, indignúmque se esse dixit cuius corrigiam calceamenti solueret, pastores in præsepio, Reges in cunis, Discipuli in nauicula, Pueri Hebræorum in die palmarum Apostoli in cœlum ascendentem adorauerunt. Attamen nec Ioanni nec pastoribus nec Magis nec pueris nec apostolis imperatum est vt tunc illum adorarent sat illis erat semel Imperatum fuisse, *dominum Deum tuum adoratis & illi soli latriam præstabis.* At (inquiunt) corpus Christi non tangitur nō videtur, nō palpatur ergo non est adorandum in Eucharistia, Respondeo cum Diuo Paulo Coloss. 2. *Videte ne quis vos seducat per Philosophiam & inanem fallaciam secundùm traditionem hominum secundùm elementa mundi & non secundum Christum* Loth enim & Abraham angelos ad ea inuitarunt ad quæ ipsi alios homines inuitare solemus quia sensibus corporis, homines esse videbantur, fidem verò scripturæ sanctæ negaret qui non angelos fuisse diceret licet specie hominum apparuerint. Et cum Christus surrexit à cœna & posuit vestimenta sua, *Et cum accepisset lintheū præcinxit se deinde misit aquā in peluim & cœpit lauare pedes discipulorum*, iudicio sensus seruus esse videbatur Iesus, cum specie tantum & habitu seruus esset; fides verò quæ verbo Dei innititur docet natura illum esse Dominum. Ad hunc ergò modum in Eucharistia quod sensibus nō assequimur, qui sepenumero in rebus etiam humanis falluntur, hoc fide veraciter contemplamur, nempe corpus Christi sub speciebus panis. Vt autem contra testimonium sensuum Deo credamus affirmanti nobis dare corpus suum, & sanguinem, delineauit prius miraculum huius misterij in vmbra & figura eius, nempe in manna promissa (quod suprà diximus) filiis Israhel his verbis *Ecce ego pluam vobis panes de cælo*, & iterum *Mane saturamini panibus*, quapropter panem expectabant Israelitę. Cum autem vidissent mane filij Israel manna dixerunt (inquit scriptura) Manhu quod significat, *Quid est hoc? Ignorabant enim quid esset*, perinde itaq; erat quasi dicerent, Quomodo potest esse hoc quod videmus panis? Non enim quod videmus est frumentum vnde panis vsitatus fieri solet, Continuò tamen respondens Moses dixit, *Iste est panis quem dedit dominus vobis ad ve-*

Luc 1. *Matth 2* *Luc. 5.* *Matth. 21.* *Deuteron. 6.* *Genes. 18. & 19.* *Ioan. 13.* *Hæc cohærent cum his quæ paulo antea dicta sunt.*

ſcendum antequam loquerentur & tortulas ex eo facerent quaſi ſaporis panis oleati, vt eſt in libro Numerorum, acquieuerunt verbis eius & crediderunt panem eſſe. Fidem itaque Moyſi Iſraelitæ adhibuerunt contra oculorum iudicium, imò contra teſtimonium omnium ſenſuum. Cur ergo ſimiliter non credemus Chriſto domino contra ſenſuum oculorum & guſtus ac tactus dicenti. *Hoc eſt corpus meum.* Si in rebus fidei oporteret iudicium ſenſuum implorare, ſimilibus argumentis baptiſmum repudiaremus, quia infans qui baptiſmi ſacramento abluitur, talis apparet ſenſibus noſtris poſt baptiſmum, qualis ante fuit, perperam igitur confitemur baptiſma dari in remiſsionem peccatorum, cum nullam mentis innouationem & peccatorum remiſsionem in baptiſmo animaduertant ſenſus noſtri. Denique ſi corporeis ſenſibus velimus metiri verborum Chriſti intelligentiam, nos credemus quod dicente Chriſto paralitico & mulieri *dimittuntur tibi peccata tua* verè remiſſa ſunt eis peccata ſicuti nec crediderunt Iudęi dicentes: *Quis eſt hic qui etiam peccatum dimittit?* quia nec hoc ſenſu aliquo corporeo poterat diiudicari, ſed vterque, poſt hæc verba ſenſibus talis apparuit qualis ante fuit. Cum igitur de veritate corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia non relictus ſit ambigendi locus, debemus vna adoratione honorificare Emanuelem hoc eſt Deum & hominem in Euchariſtia reipſa exiſtentem. At non eo iure eſt in ſacramento (inquiũt) vt colatur ſed vt manducetur, Reſpondeo, Neque eo fine aut inſtituto fuit in vtero, in præſepio, in naui, in templo, vt honoraretur & tamen cultus eſt à cœco nato, ab Apoſtolis, à Magis, à paſtoribus, à Ioãne Baptiſta. Alia (inquiunt) nouæ legis ſacramenta non adorantur. Ergo temere cantamus, tantum ergo ſacramentum veneremur cernui, Reſpondeo. Alia ſacramenta non adorantur, quia dominum & inſtitutorem ſacramentorum non continent, ſed ſolam eius gratiam præ ſe ferunt. Hoc autem ſacramentum alia ſacramenta ſuperat quod in illo ipſe Chriſtus cõtineatur, commune bonum totius eccleſiæ, in aliis autem virtus quædam participata ab ipſo Chriſto domino. Sed iſti rerum modos & differẽtias non norũt

Luc. 7.

Mandu-

Manducatione (aiunt) est colendum corpus Christi non veneratione, Respondeo, Hæc oportet facere illud non prætermittere vt dicebat pro alia causa Christus Dominus imò ipse, Deum hominésque testor, non melius neq; efficacius coli quam deuoto vsu & studiosa frequenti cõmunione in quo equidem summè reprehendenda est nostra vel ignauia vel ingratitudo adeò Dominum nostrum non obseruamus, adeo illi non seruimus, vt ne ad mensam quidem eius, sponte venire velimus nisi pœnis & excommunicationibus adacti. O supinam negligentiam, Videmur ignorare duas esse partes vniuersi cultus diuini quem Græci latriã appellant, interiorẽ, nempe & exteriorẽ Interioris cultus illæ sunt partes tales, Charitas erga Deum & proximum, discretio atque diiudicatio creatoris à rebus, quæ creatæ sunt, sui probatio, puritas mentis, reconciliatio. Exterior cultus, illis partibus, cõstat ieiunio, sobrietate, corporis puritate, loci temporisque obseruantia, omni denique honesta & submissa totius situs nostri compositione Vtramque autem partem cultus diuini ad hoc sacramentum adferendam esse, docet Paulus idque cum graui æterni Iudicij comminatione. Quod ita esse vt melius animaduertamus, ipsius Pauli doctrinam audiamus 1. Cor. 10. *Non potẽstis bibere calicem domini & calicem demoniorum non potẽstis esse participes mensæ & mensæ domini dæmoniorum.* Et 1. Cor. 11. *Conuenientibus vobis in vnum, iam non est dominicã cœnã manducare, vnusquisq; enim suam cœnã præsumit ad manducãdum & alius quidem esurit, alius autem ebrius est, Nunquid domos habetis ad manducandum & bibendum? aut ecclesiam Dei contemnitis & confunditis eos qui non habent. Quid dicam vobis? Laudo vos? In hoc non laudo. Et paulo post probet seipsum homo & sic de pane illo edat & de calice bibat. Qui enim mãducat & bibit indignè iudiciũ sibi manducat & bibit non diiudicans corpus domini, ideo autẽ inter vos infirmi multi & dormiunt multi. Quod si nosmetipsos diiudicaremus non vtique diiudicaremur dum iudicamur autem à domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur. Itaque fratres mei cum conuenitis ad manducandum inuicem expectate. Si quis esurit domi manducet vt non in iudicium conueniatis. Cætera autem cum venero disponam.* En legis Pauli doctrinam, quæ

verum

verum cultum ipsi soli Deo debitum huic sacramento perspicuè tribuit. Hæc est sacra bipennis quæ sacris eiecta è scripturis transfigit & vincit omnes hæreticorum clypeos. Fracti sunt, Habent vnum adhuc cuniculum ruinam minantem ad quem Euro celerius confugiunt, & de victoria insolentius incerti obiiciunt Christum pro summa cautela docuisse ne crederemus in nouissimis die-

Matth.24. bus venturis hominibus qui dicturi sunt. *Hic est Christus aut illic, nolite credere.* Sed tantum abest vt Christus loquutus sit de sacramento, quin Antichristi Imposturas & doctrinam falsam prædicebat, vt facilè ex prioribus verbis apud Matthæum legimus. In scriptis nodos quærũt, meticulosos scrupulos mouent, volunt his verbis delusissima commẽta tueri vt hinc clamitent Christum cœlos egredi non posse attamen Christi apud Euangelistam sententia perspicuum est ipsos mire falli. Si enim dicti λόγιν & numerum pensemus verè constabit hæc referri ad vltimum diem iudicij, non ad sacramentum altaris quandoquidem Christus mundi periodum præuidens hæreticorum dissectas acies præsagit, quæ monstruosis ita distrahuntur opinionib. vt de diuini nominis cognitione, apud eos nulla sit futura ratio. His perfidis hominibus exagitata erũt sic nouissima secula: & vbi Christus sitm, ulti in dubium Ethnicis omnibus peiores reuocaturi sint. Ex his multi dicent, *ecce in deserto est* Christus, hoc est vera Christi eiúsque Euangelij doctrina. Alij subito reclamare audebunt, *non in deserto sed in penetralibus* apud nos scilicet hospitatur vera doctrina Chri-

1.Timoth 3. sti. Tale fore κριτήριον siue indicium orbis perituri docet Christus. Sed aduersus hos fluctus pro Cynosura & tutissima anchora hanc insignem animaduersionem superad-

1.Timoth.3. dit. Nolite inquit exire (suple ab ecclesia catholica) quę columna est & firmamentum veritatis: sed in illa perpetuò vos conseruate: Nolite credere si quis tunc vobis dixerit, ecce hic Christus aut illic hoc est doctrina Christi Euangelizatur in deserto, aut in penetralibus vel in alio orbis angulo *hisce doctrinis variis*, & peregrinis nolite abduci: Men-

Hebræor.13. dacium enim multiplex est, veritas semper vna quæ in Ecclesia Catholica omnibus religionis nostræ monumentis excussis

tis excussis falsarum hæresum portentis triumphat, illíc-
que prędicatur, verùm ne inermes relinquamus hostes no
stros concedamus eis Christum loqui de corpore suo: hinc
videbimus illos proprio veluti iugulari gladio: nã illi sunt
qui sub hac disiunctiua propositione, *ecce hic est Christus aut*
illic subdolè diuinam potentiam traducentes, argumen-
tantur Christi corpus non esse in sacramento altaris, cùm
certum sit illud esse in cœlis. Nos verò copulatiua propo-
sitione vtimur, illúdque & in cœlo, & in sacramento esse
profitemur dicendo, Hic nempe in cœlo, & hic nempe in
sacramento, altaris est corpus Christi, quanuis modus exi-
stendi sit diuersus. In hoc verùm discrepamus ab hæreti-
cis, quod ipsi corpus Christi perpetuò ligant in cœlis, nos
autem fatemur esse tum hic tum illic, nec illum bicorporẽ
dicimus cum & diuina sua potentia eodem tempore duo
loca impleat. Et cũ illũ esse, vbique dicamus prouidè caue
mus ne ita diuinitatem astruamus hominis vt veritatẽ cor-
poris auferamus. Scimus Christum secũdùm corpus cer-
to loco cœli contineri nec immensum esse quod diuinita-
ti id propriè competat ast credimus per mysticã consecra-
tionem panem in corpus Christi mutari, quanuis illius cor
pus in cœlo permanentis subsistentia sub tantilla panis
specie in tam diuersis altaribus ingenio humano com-
prehendi non posit Sed de his locupletius dictũ est. Nec
parum adeo exercitati sumus in notandis conatibus qui-
bus moliuntur ad eruendum è veritatis puteo falsum, sic
enim torquentur & adulterantur eorum impetu scripturæ
vt ab illibato pudore multum dispares putentur. Idcircò
clamant in nos quod cum Christus dixerit, Accipite & co-
medite nos sacramentum incarceremus & reseruemus.
Scio quid cupiant, & vbi vergat talis iniuria Pessimè eos
habet nos venerandam sacri viatici custodiam reuereri,
cùm id sit Christiani & antiquissimi moris, ante enim
quingentos supra mille annos in ecclesia Christi eius cor-
poris pro viatico veluti migraturis, aut periclitantibus ser-
uatur, quod horret Caluinus qui mauult suos in exteriores
tenebras famelicos vt canes eiicere, quàm aliquid vltra cœ
nę suę dapes præcipere. Non autem vinculis ita coercetur

Corpus Domini est sub dimensionibus panis cõuersi more substantiæ, quæ nempe panis ipse sub illis fuerat, ideóque nõ localiter loco illo, qui respondet quantitati, quæ Christo inhæret.

Christus vt ignoremus quod vbicunque est liber & sui iuris & potentiæ sit, tametsi in sepulchro claudatur, aut numerosissimis cohortibus septus sit, quem nos pro cęlesti nostro cibo reseruamus, & veneramur in sacra pixide, in qua non est captiuus. Nam Petrus dicit, quod in cęlis sit inclusus, non tamen captiuus: Et cum gestabatur in vtero virginis, aut cooperiebatur sepulchro suo minimè captiuus erat. Diuinitas corporis comes nunquam potest vinculis capi aut torqueri; Non dicit ergò sumite corpus meum bis aut ter, vel illico post consecrationem, sed *quotiescunque* absque temporum præscriptione non obiter considerandus est finis ob quem seruamus hoc sacramentum, nempe vt illud promptissimum animæ pharmacum adhibeamus, illóque vtamur pro immortali alimonia, non vt morem geramus hæreticis qui cœnæ reliquias asinis & agazonibus relinquunt deuorandas. Nos semper habemus sacra penora eo referta vt memoriam dominicæ passionis agere volentibus perpetuò opitulemur quotiescunque debitè id ex postularint quod commodè fieri non posset nisi haberetur eius continua custodia: Quod cum ita sit cum eo tempore iam ista consuetudo firmata suas patulas radices egerit, auitamque præ se tulerit canitiem quis non intelligit aduersarios nostros & in seipsos, dum sibi tantum inuident bonum & in nos quibus hunc eximium surripere thesaurum conantur & cœlestis Ierarchiæ vtriusque Ecclesiæ proceres ac in omnem veritatis potentiam fœdè irruere? Absit hic Eliæ Ironicus sermo quo alloquebatur Prophetas Baal in Carmelo. Clamate voce maiore, Deus enim forsitan loquitur, aut in diuersario est, aut in itinere, aut certè dormit. Eadem ratione ferocientes dogmatici nolũt fateri Christum esse in cœlis & in terra, sed ita eius potentiam cohibent vt nolint eum metas arcis sydereæ transgredi. Quiescant iam tandem turbulentissimi hæreticorũ manes, & furoris adsit modus; nam quo plus amputantur huius hydræ capita, eo maiora nascuntur & pullulascunt indies fœdissima propaginis germina. Miror autẽ quo pacto id eueniat vt doctrina quæ solis fabulis, præstigiis, & illusionibus cõstat, tãtum asseclarũ numerum assequuta sit.

Canamus

Canamus receptui, integra naue ad portum peruenimus, argutula videmus hæreticorum argumenta deuicta esse. Ostendimus arrogantioris aduersarios esse supercilij qui volunt Christianos Euangelico carere Sacrificio, & temerè vociferari nihil ex scriptura sacra suffragari nobis, nec solennius habet argumentum illo vt futilissimo, ita pręclaris istis Thrasonibus scripturam vbique crepātibus indignissimo, Non est scriptum, Non est scriptum ad quod vbique tanquā ad sacram anchorā confugiunt. Sed oleum atque operam perdiderunt, quandoquidem sacrę scripturę trophęis vndique cingimur vt ab hostibus victoriā reportemus. Mirari sæpius soleo qua fronte audeant scelerata detorsione scripturas antiquare, & fraudulenter peruertere, omnium doctorum oracula ridere, & sibiipsis solum impudentissimè fidere. Effrontes Epicureorum sententias non leui inscitiæ nota sectantur apud quos omnium Philosophorum placita, nihil ponderis habebant. Gloriabantur se palmam retulisse ab omnibus Peripateticæ tum Stoicæ scholæ professoribus, & Enciclopediam suis ingeniis absoluisse, & antiqua scripta contumeliosissimè proscindebant. Sic Neoterici isti Philosophi doctrinam sacram non in Platonis Academia, aut Aristotelis Lycæo, aut Zenonis porticibus edoctam, sed in Christi collegio Christo ipso docente traditam, fedè lacerant, & è Democriti puteo veluti veritatem ipsam hausisse iactitāt. Sed frustra in nos hęc tonitrua vibrant. Elementa nostri instituti, Christum ducem habent, pro præsidio Apostolorum sanctiones, pro tutissimis clipeis martyrū acies, habemus patres in ordinem collocatos, vt aduersus hostes manus cōferant, pro Colophoneo (vt aiunt) auxilio solēnes Christi promissiones & pacta æterna sponsæ suæ pro dote cōstituta offerimus Cauillentur quantū voluerint, scomatum aceruos proiiciant, fucis & coloribus scortum damnatissimum componant, haud tamen effulgentem vbique Catholicam doctrinam obscurabūt quæ ab ipsius mundi exordio corruscauit. Doleo tamen quod tam perditissimè fallantur, & tantas blasphemias euomant. Exclamabo igitur ὦ καλὲ θεὲ, εἰς οἵους με καίρους τετήρηκας, ἵνα τούτων ἀνάσχωμαι. * O perditissima sæcula, Ampliora

* Ex D Polycarpo sumpta est. Hæc Græca exclamatio ô bone Deus in quæ nam permisis me tempora reseruasti vt hæc sustineamus.

Ampliora proloqui non fert animus inter tot egregiorum virorum phalanges qui huius controuersiæ argumentum fœlicius mea opera tractarunt. Faxit tamen Deus hæc qualiacunque sint tantum promereantur apud torpentes cohæreticorum animos quo saltem vel iure postliminij cognoscant quamdiu & quam multum aberrarint a vero calle derelictis Prophetarum, & Apostolorum tum ipsius Ecclesiæ, oraculis, traditionibus & legibus, vnde miserè sese præcipites in densissimas tenebras dederunt. Quod si saluti consulendi gratia & bona mente aliquando hæc reuoluant breuissima sed verissima augustissimi sacrificij testimonia, omni deposito maleuolę indolis affectu, intimis hauriant pectoribus Pharmaca ista præsentissima, & non minus saluberrima quàm necessaria quum ex officina venentur illius qui nostris solus mederi voluit infirmitatibus, & in tanti beneficij Mnemosinum hoc altaris sacramentum in quo verum corpus & sanguis eius nobis porrigitur instituit. Desinant vesci phantastica illa cibi consideratione qua falsò Cœnam Christi mentiuntur, quę nihil in se habet præter fercula cauponibus & pistoribus vbique venalia. Et cum se certò delusos sciant, diutius ociari in his monopoliis schismaticis fide quàm semel professi sunt indignum existimant esse. Non adeo procrastinanda est pœnitentia ad quàm tam amicè & plausibiliter eos inuitat pia mater Ecclesia extrà cuius limina nulla est salutis tuta expectatio vt verè sponsus pollicitus est, qui viuit & regnat in æternum.

INDEX

SINGVLARIVM MATERIARVM QVÆ IN HAC AVTHENTICA PROBATIONE CHRISTIANI

ſacrificij continentur.

A

Kyrie

ERRATA SIC CORRIGVNTVR.

Pag.1.lin.vltima propaculis. leg. propugnaculis. in add. octo animis. leg. octo annis.
pag.29.lin.22. ισ⊙ leg. ἰσ⊙.
pag.14.lin.11. vox leg. vocem lin.12. illa leg. illam ead.lin. qua leg. quæ.
pag.37. lin.5. dicebat leg. dicebant & lin.18. Expli cati leg. Expiscati.
pag.38.lin.27. milium leg. omnium.
pag.48.lin.32. lucem leg. lumen lin.17. quædem leg. quædam.
pag. 5.lin.33. dicit leg. dicant.
pag.56.lin.1. vobis leg. nobis.
pag.5?. aduersarij. leg. aduersariis, lin.11.
pag.5?.lin.?. quo leg. quæ.
pag.61.lin.4. achrimias leg. lachrimas.
pag.63.lin. penultima ac leg. ea.
pag.70.lin.31. tertio leg. tertia lin.34. translata leg. translata.
pag.71.lin.?. quo leg. quod.
pag.72.lin.1. initio leg. ratio.
pag.75. in marg. angusti leg. augustior.
pag.102.lin.13. inuoluisser leg. innoluisse.
pag.112.lin 26. redig.ntur leg. rediguntur.
pag.16?.lin.22. vnum leg. vinum, lin.24. lele *nam.*
pag.1?.lin.?6. obscurus leg. obscurius.
pag.156.lin.21. lignum leg. lignum, lin.29. corpus leg. corpori.
pag.166.lin.1?. prope leg. proprie.
pag.?67 lin.11. p opugnandam leg. propagandam.
pag.172.lin.30. aliter leg. alibi.
pag.186.lin. antepen. pollicitum leg. pollicitus.
pag.1?7. lin.3. copulamus leg. copulamur.
pag.185. lin.1?. Christ leg. Christi, lin.14. Conuincti leg. Conuinctus.
pag.192.lin. antepenultima moriamur leg. moriamur.

Alia quædam leuiora in quibusdam Exemplaribus irrepserunt quæ beneuolus lector candidè interpretabitur.

Bollo. d Officiumil


calibrite
colorchecker CLASSIC
mm